8. m. 7.

7 A. 241

ATENEO VENETO
VENEZIA

BIBLIOTECA
CENTRAL

MAGNI HIPPOCRATIS COI ARS PARVA,

Siue aphorismorum Sectiones VII.

Quibus, ordine resolutiuo traditur uniuersam medicinam, ab ipso Hippocrate, demonstratur;

Summa breuitate, ac modo à nemine hactenus indicato, aphorismus per aphorismum, vel explicatur, vel limitatur, vel roboratur.

AVCTORE GEORGIO MORALI

Philosopho, ac Medico Veneto.

Opus cunctis Medicis necessarium. Reliquis studiosis artem cito, tuto, ac iucunde addiscere cupientibus, utilissimum.

Cum duplici Indice, primo Quæsitorum, altero rerum atque verborum magis insignium.

ATENEO VENETO Biblioteca

VENETIIS, Apud Iuntas. M. DC. LIII.

Cum Licentia Superiorum, & Priuilegio.

Visum A. Jacobus Flavellus Venens

Regens. 1660.



Eminentiſs.° atq; Reuer.°

PETRO OTHOBONO

S. R. E. Cardinali.

Georgius Moralis Philoſophus, ac Medicus Venetus, perennem præcatur fœlicitatem.

Præclarum aphoriſmorum, hoc eſt inſigniorib⁹, atque præſtantioribus, artis medicæ divitijs, refertum opus, haud inutilibus commentariolis à me illuſtratum,

tum, ad te venire iam gestit, Eminentissime, atque Reuerendissime Cardinalis; ad te inquam, in quo præter fortunæ diuitias, illæ etiam quæ mores expoliunt, mentem informant, atque corpori ornamentum præbent, cumulatæ conspiciuntur; hæc scilicet, quæ sparsim diffusæq; apud alios sunt inchoatæ præsidia fœlicitatis, tibi vni tributa fuere. Quod etenim ad bona attinet corporea, quis est adeo stupidus, vt nõ agnoscat oris tui maiestatem, atque ad sapientum normam adeo perfectè efformatũ corpus, vt pulcherrimi animi, pulcherrimum sit existiman-

dum

dum domicilium? Externa autem bona, quæ certè si non efficiunt, explent tamen fœlicitatem, quæ & quanta in domo sint Otthobona, nemo est, qui nesciat. Reliqua verò ad perfectam fœlicitatem conspirantia, in te vnico virtutis exemplo facile est intueri; sunt autem recondita in pluribus disciplinis eruditio, quam etiam multiplicis linguæ facundiæ ornare in ipsa quidem adolescentia voluisti; admiranda morum probitas, atque cætera bona, si quæ sunt, ad regendos populos apprime idonea, in conspectu Vrbani VIII. piæ recordationis Pontificis Ma-

ximi, adeo se exhibuere, vt te adhuc iuuenem, non paucis regionibus rectorem, atque moderatorem præposuerit; onus scilicet grauissimum imposuit; nullus etenim est in ciuili versatus prudentia, qui non dignoscat, quantæ sit molis, ab vno capite tot capita coerceri; pauci etenim ab omni æuo reperti, qui laudabiliter hoc munere functi sint, atque defuncti: nimirum maius quiddam est, quam imperiti suspicẽtur, cursum rectè tenere in vndoso illo mari, & in maxima fortuna non abripi licentiæ ventis. Tibi tamen non fuit arduum, si quidem mire capaci, ad

res

res omnes intelligendas, ingenio, tuis virtutibus, quasi anchoris naxim firmasti, atque prudenti moderatione, quasi clauo gubernasti. Ad virtutem præiuisti, sequuti sunt populi; bene, beateq; egisti, floruerunt; atq; vt à sole in subiecto hoc orbe lux, sic à te in subditos recta quæq; fuerunt effusa; atque vt ille lucem habet, ea tantum lege, vt vsibus mortalium deseruiat, sic tu dignitatem, & potentiam cũ tali modestia deuinxisti, vt te prodeuntem certatim, veluti beneficum, & salutare quoddam numen aspicientes, fuerint inter amorem timoremq; medij, & al-

ternis iudicijs ambigentes, domi-
num salutarent an patrem: sed
quod est magis admirandum, a-
lias ab Vrbano eo missus fuisti, vbi
ciuilibus turbulentijs ardebāt om-
nia, quæ non potuerunt alij maxi-
mæ auctoritatis viri, potuisti tu,
qui inexplicabili dexteritate, v-
niuersam illam multitudinem, in-
quietam, discordem, turbidam, le-
niter sub comune quoddam obe-
dientiæ iugum redigisti. In alijs
tractandis negotijs cum maginati-
bus, atque tibi gradu similibus,
in ferenda sententia de re qua-
libet ardua, ætatis viriditatem,
maturitate sapientiæ; generis
splen-

ſplendorem, virtutis lumine, fortunæ leuitatem, meritorum pondere ſuperaſti: hæc autem quis aſſequi potuiſſet, niſi in præteritis eruditiſſimus, in præſentibus occulatiſſimus, in futuris prouidentiſſimus, cuius facta dictis, & dicta factis pari lege copulantur? Neque certe mirum, quando quidem hæ omnes virtutes ſunt hæreditariæ, quæ ſcilicet ab Illuſtriſſimo, atque Excellentiſſimo Equite, fœlicis recordationis, patre tuo, quaſi fonte, in te ipſum, atque illuſtriſſimos fratres tanquam riuos emanarunt; fratres inquam qui in vrbanis gerendis magi-

ſtra-

ſtratibus tanto patre, atque fra-
tre ſe digniſſimos ſemper exhi-
buere. Hæc igitur mecum per-
pendens, atque vniuerſæ domus
tuæ, vigintiquinque ab hinc an-
nis, erga me maximam propen-
ſionem dignoſcens, haud equi-
dem dubitaui, quem huic opuſcu-
lo patronum ac præſidem aſsigna-
rem; quamuis etenim aliquan-
do veritus fuerim, ne inde auda-
cior iudicarer, iſtam nihilominus
ex animo meo nebulam fugauit,
cognita mihi iam olim humani-
tas tua, Nicolai Quinti olim Pon-
tificis æmula, qui cum ſermo ali-
quando eſſet de litteratis viris, &
di-

diceret quiſpiam Poetas aliquot bonos Romæ eſſe, Non credo, *ſiebiecit ille*, cur etenim ad me non veniant, qui etiam malis pateo? *Praterquam quod nũquam excidit ex mente, quod iam decimus agitur annus, ex quo, pro maxima quam tunc patiebaris ægritudine, conſilium meum poſtulaſti; & quoniam D. O. M. auxilio voti compotes facti fuimus, me vbiq; ſemper commendaſti; quando hic Venetijs affuiſti, humaniſſime excepiſti; Hippocrãtis noſtri aphoriſmos, vbi ſe obtulit occaſio, ad verbum propoſuiſti: atque tandem, eadem humanitas, ex tã-*

to fastigio humanissimis ad me conscriptis epistolis descendit; adeo vt precari tenear bonorum omnium fontem Dominum, vt te ad maiorem, ad quam natus fuisti, seruet fœlicitatem.

A V-

AVCTOR

Lectori beneuolo.

IN ipso statim huius operis vestibulo, exclamauit Sapientissimus Hippocrates, *vita breuis, ars vero longa*, vt scilicet nobis indicaret, quod id solum viuimus, quod operamur; quod me impulit amice lector, vt post editum elapsis mensibus opusculum, de manuductione ad aphorismorum doctrinam, nunc aliud conscriberem, quod nos edituros esse, ibi

pol-

policiti fuimus Est vero demon-
strare, quomodo dictator in a-
phorismis, vniuersam artē com-
plexus fuerit ordine resolutiuo,
eoque accuratissimo, quemad-
modum nos aduersus comunem
sententiam comprobauimus, at-
que interim proponitur breuissi-
ma aphorismi, per aphorismum,
explicatio. Ardua certe prouin-
cia, quæ etiam eo magis videbi-
tur impossibilis, quo lectores re-
liquorum interprætum doctrina
magis fuerint imbuti, illa præci-
pue quam nostro hoc seculo vul-
gauit Prosper Martianus; quam-
uis etenim in suis ad Hippocra-
tem

tem adnotationibus existimauerit, Galenum Hippocratis doctri nam, nomine potius, quã reuera insequutũ fuisse, cum constet in eius librorum censura, magis quã in eorum explicatione, laborasse, eo quod gloriæ auidissimus, contradicendi studium adeo innatum habuerit, vt nullus scriptor in eius manus peruenerit, quem repræhendere non fuerit ausus: in hoc tamen Galeno assentitur, quod ipse merito aliquos aphorismos, tãquam spurios, reijcere coactus fuerit. Addit præterea, quod etiam si hoc aphorismorum opus sit ipsius magni Hip-

po-

pocratis doctrina, eius tamen in-
duſtria, in hoc compendium fuiſ
ſe redactum, ſe affirmare non au-
dere, cum tanti auctoris grauitati
conuenire non videatur, ſelectio-
res ſententias hinc inde collige-
re, quæ, ſi totum opus reſpicias,
nec methodum, nec doctrinæ
perfectionē continent, neq; ali-
quid perfecte atque continuata
ſerie abſoluitur. Subdit inſuper,
quamplures ſententias, ex alijs
Hippocratis libris, in præſens o-
pus tranſlatas, longe perfectiores
in proprio fonte reperiri, quam
hoc in libro; eſſeque non paucas
quæ aphoriſtice deſcriptæ, men-

da-

dacio non carent, quæ iuxta proprij loci descriptionem, indubitatam continent veritatem; atq; proinde existimat, quod qui illas collegit, vt breuem sententiam redderet, in multis, veram auctoris mentem minime assequutus, voculas quasdam adimi posse ratus, orationem, defectuosam, falsamque sententiam reddidit; ex quo factum esse arbitratur, vt omnium aphorismorum lectionem tueri sit impossibile. Nos vero elapsis annis, in nostris commentarijs, non vnicum tantum nexum, verum etiam tres, & quatuor, atque aliquando etiam plu-

res adinuenimus, quibus facilio-
rem viam parauimus ad ipſam
reſolutiuam viam, quam comple
xus fuit dictator, inuenie̅dam, at-
que edocendam ; quamuis ete-
nim (vt dictum eſt) id prima fron
te temerarium videatur; quicun-
que tamen manuſcriptum opus
aliquatenus deguſtarunt, teſtati
fuere, dictam noſtram ſenten-
tiam ſibi ſummopere arridere, ,
quemadmodum & illud, multas
ſententias, quas omnes interpræ-
tes cum Gal. opinantur eſſe, vel
perperam repetitas, vel mutila-
tas, vel quomodocumque male
interiectas, nos ipſiſſimas Hip-
po-

pocratis,atq; ab eodem dictatore,suo quoque loco repositas,existimamus. Quod tamen præcipue ad ordinem attinet resolutiuum, neminem latere arbitror, non temere inuexisse Sapientissimum Anaxagoram, mentem illam, quæ perpetuo segregat, ac separat; quam fortasse perpendens diuinus Plato, in omnibus suis operibus tantopere fecit methodum diuisiuam, quam post illum, resolutiuam appellauit eius discipulus Aristoteles, atque post illum Gal. Verum quemadmodum in reliquis suis operibus illam indicauit Philosophorum ac

medicorum magiſter Hippocrates, ita etiam nulla ratione adduci potui, vt crederem, illam in hoc opere omnium nobiliſſimo prætermiſſam fuiſſe; hunc igitur noſtrum laborem ſi comprobaueris, erit quod exultem laudari opuſculum à viris laudatis; ſin minus, non diſplicebit in magnis ſaltem voluiſſe, atque reliquis meliora indaganda viam indicaſſe.

IN

IN MICROTECHNIAM,
Hippocraticam,
Clarissimi atq; Excellentissimi viri
GEORGII MORALIS

Olim in Pisano Gymnasio Medicinæ professoris, Nunc Venetijs Exarchiatri.

Iliadẽ nuce quì studuit perstringere parua,
Si tantum meruit laudis & elogij,
Quid tibi Moralis decus immortale medẽtũ,
Qui tam promissa corripis artis opus!
Micrologũ facis Hippocratẽ pariterque Galenum,
Phœbœasq; globo colligis vnus opes.
Scilicet vt pauco diteſcat tempore quisquis
Libarit Sophiæ dogmata clara tuæ.
Plaudite Appollineo Mystæ qui moribꝰ æque
Protinus ingenuis, ingenioque splendet.

Celeberrimi Philosophi ac medici Venetî.
Ioannis Stephanij.

AD EXCELLENTISSIMVM
Georgium Moralem,

Sacrosancti nostri Collegij Consiliarium.

Plurima Apollineæ splẽdẽt miracula dextræ,
Deq; sene hinc genito cõmoda nata viris;
Illi ars natiuos auxit Phœbea nitores,
Huic decus, ò fœlix, Herba reperta tulit:
Morali ingenio similis mihi viuis vtrique,
Palladias medicas, tam bene pandis opes:
Vis tibi morborum, tibi lucida copia fandi,
Spirat in ingenio Numen vtrumque tuos;
Diuina at renuis, nec te tã excelsa per auras
Tollunt mortali hoc ordine fixus honor:
Dum breuibus stringis tã docta aphorismata chartis
In te immortalem cernimus Hippocratẽ.

Sebastiani Turresini Philosophi ac medici Veneti, auctoris alumni.

AD

AD EXCELLENTISSIMVM

Virum

GEORGIVM MORALEM

Noſtri æui Æſculapium.

Anagramma.

Mo ralis

Liş Amor.

Hic eſt Moralis; sũt dicta hoc nomine cũcta;

Cuncta etenim potuit condere lis & amor.

Darius Varotarius Philoſophus ac Medicus Venetus obſeruantiæ, & amoris ergo P.

SOLLERTISSIMO ARTIS MEDICÆ

Professori

GEORGIO MORALI APOLLINIS

ORACVLO.

More tuo insigni nomen Morale figuras

Mos tunc iste bonus cuncta per ora sonat.

More places, virtute places, sic grat⁹ amaris,

Sic te immortalis iure decorat honos.

Marci Antonij Galdaldini Philosophi ac
Medici Veneti, auctoris alumni.

AD

AD PHILOSOPHVM INSIGNEM, atque Medicum Admirandum, GEORGIVM MORALEM.

Vos genus antiquum, prima vos gloria gẽtis,
Cedite ſcriptores, orbis & ille nouo.
Noſtra ſunt gentis monumenta & nomina laudis.
Vnus Moralis vincit vtroſque tuos.
Illi ſe geminas medicis fecere columnas
Quas, ſi plus vltra, ſola pericla manent;
Hic plus vltra petit, monſtrat noua regna ſalutis.
Eſt vnus cunctis maior en iſte ſuis.

Antonij Zanellæ Parmenſis Philoſophi & Medici, Auctoris Alumni.

IN-

INDEX QVÆSITORVM in hoc opere contentorum.

Qvæsitum 1. *Cur aphorismorum opus fuerit Ars parua nuncupatum*. *pag.* 1. & 2.

Q. 2. *Cur Hippocrates fuerit compulsus ad artem paruam conficiendam. ibid.*

Q. 3. *Ars magna quomodo fiat parua. pag.* 2.

Q. 4. *Aphorismorum opus quomodo inseruiat tironibus ad introductionem, atque eruditis & consummatis viris ad memoriam*. *ibid.*

Q. 5. *Quomodo Gal. in arte parua; atque Auic. in prima Fen. imitati fuerint Hippocratis ordinem seruatum in aphorismorum opere. ibid.*

Q. 6. *Aphorismorum opus quomodo complectatur uniuersam artem, medicam. pag.* 3.

Q. 6. *Ordo resolutiuus quomodo fuerit seruatus in aphorismis. ibid.*

Q. 7. *Cur auctor in editis ad aphorismis commentarijs, ordinem resolutiuum in illis*

lis non adinuenerit. pag. 4.

Q. 8. *Medicina cur potius sit appellanda ars, quam scientia salubrium insalubrium & neutrorum; & cur Hippoc scientiam lato modo non vocauerit. pag. 4.*

Q. 9. *Aphorismorum opus quomodo sit ars salubrium insalubrium & neutrorum. pag. 4 & 5.*

Q. 10. *Quomodo Hippoc. in ipso statim aphorismorum prohemiolo, artis medicæ definitionem tradiderit. pag. 6. & 7.*

Q. 11. *Cur auctor ordinem à Gal. in sua arte parua seruatum non fuerit immitatus. pag. 7.*

Q. 12. *Quomodo Hippoc. in aphorismorum opere progrediatur, à notione finis, omnia indagare, quæ ad ipsum finem indagandũ sunt necessaria. pag 8. & 9.*

Q. 13. *Cur medicus non semper assequatur optatum finem, nempe sanitatem. pag. 10. & 12 & 13. & 14.*

Q. 14. *Humanum corpus, cur à Gal. secunda materia nuncupetur. pag. 11.*

Q. 15. *Quomodo differant adinuicem subie-*

ctum

ctum naturalis, medicinalis, atque morum disciplina. ibid.

Q. 16. *Qui nam sint duo medicinæ fines, primum ab Hippoc. deinde Aris. atque Gal. demonstrat. pag.* 12. & 13.

Q. 16. *Cur Hippoc. in primo statim aphorismo proposuerit magna impedimenta quæ contingunt in arte medica pag.* 14.

Q. 17. *Cur erudito atque exercitato medico experimentum euadat minus periculosum & iudicium minus difficile. p.* 14. & 15. 16. & 17.

Q. 18. *Cur & quomodo teneatur medicus præcipitem occasionem arripere pag.* 16. & *cur in aliquibus magis in alijs vero sit minus præceps. ibid.*

Q. 19. *Iudicium in quot & quibus appelletur ab Hippoc difficile ibid.*

Q. 20. *Quæ considerare debeat medicus vt minus aberret in euentu prædicendo atque præsidijs administrandis. p.* 17 & 18.

Q. 21. *Quomodo morbus, sua natura non lethalis, possit fieri lethalis. p.* 19. & 20.

Q. 22 *Quomodo Hippoc. suam doctrinã tradide-*

diderit non modo per cauſſas remotas, verum etiam proximas. pag. 21.

Q. 23. *Quomodo Hippocrates ſigna poſuerit per quæ poſſimus dignoſcere morborum cauſſas, tam manifeſtas, quam non manifeſtas. pag. 23.*

Q. 24. *Cur Hippocrates prius auſpicatus fuerit ab accidentibus quæ febribus contingunt. ibidem.*

Q. 25. *Superuenientia in arte medica quanti ſint momenti pag. 26.*

Q. 26. *Quomodo Hippoc. ipſe ordinem reſolutiuum à ſe in aphoriſmorum opere ſeruatum, in ſecundo aphoriſmo primæ ſectionis indicauerit ibid. & pag. ſequentibus.*

Q. 27. *Medicina quid? ex Hippoc. libello, de flatibus pag. 28.*

Q. 28. *Per vaſorum inanitionem, quam multa complectatur, ab auctore aduerſus communem ſententiam demonſtratur pag. 29. & ſequentibus.*

Q. 28. *Regio, tempus, ætas, & morbus, quomodo indicare poſſint quamlibet per quamcumque partem corporis factam excretionem*

nem fieri cum conferentia atque tollerantia pag. 34. & sequentibus.
Q. 29. Quomodo si morbus alteri morbo superuenerit, possit efficere vasorum inanitionem pag. 36.
Q. 30. Vnico affectui quomodo possint contingere plures atque variæ excretiones, cum conferentia atque tollerantia pag. 37.
Q. 31. Quomodo rursus vnico affectui possint superuenire variæ vasorum inanitiones ad interitum pag. 38.
Q. 32. Quomodo excretiones possint fieri cum conferentia, absque tollerantia; vel cũ tollerantia absque conferentia p. 38. & seq.
Q. 33. Quomodo omnes fere aphorismi sint ad excretionem attinentes pag. 39.
Q. 34. Morbis ex inanitione prouenientibus, cur pauci dicati fuerint aphorismi. p. 41.
Q. 35. Morbi ex inanitione quomodo aliquãdo inducantur ab ignaro medico pag. 42.
Q. 36. Quomodo fieri possit analysis morbi ex inanitione prouenientis in suas species. pag. 43.
Q. 37. Quomodo possit quilibet, ex nostris his com-

mẽtariolis, vniuersam artẽ medicã, paucorum dierum spacio addiscere pag. 44.
Q. 38. Quomodo ipse dictator Analysin in tota prima sectione sit prosequutus pag. 46. & 47.
Q. 39. Experimentum sua natura periculosum, quomodo fieri possit minus periculosum; atq; iudicium difficile, quomodo fiat minus difficile pag. 51.
Q. 40. Habitus plethorici qua mensura sint euacuandi & rursus reficiendi pag. 52.
Q. 41. Quomodo generatim vasorum inanitio in omnibus morbis, ratione victus sit efficienda pag. 53.
Q. 42. Cur victus tenuis non modo in morbis longis, verum etiam in aliquibus acutis, sit periculosus p. 54.
Q. 34. Quibus morbis conueniat victus tenuissimus, & consequenter extrema remedia pag. 55.
Q. 44. Cur in peracutis morbis, victus tenuissimus sit instituendus p. 56.
Q. 45. Citius vel tardius futurum vigorem qua ratione assequi possimus ibid.

Q. 46.

Q.46. *Vbi prædictum vigorem futurum assequuti fuerimus, quis nam victus sit instituendus p.57.*

Q.46. *Cur in accessionibus à cibo sit abstinendum pag.58.*

Q.47. *Quibus indicijs possimus dignoscere non modo accessiones vtriusq; generis, verum etiam vniuersalium morborum constitutiones, seu varias illorum species atque differentias pag.59. & 60.*

Q.48. *Cur & quomodo variæ victus formæ sint instituendæ pro quatuor ætatum differentijs pag.61.*

Q.49. *Cur senes non corripiãtur, vt iuuenes, morbis acutis pag.63.*

Q.50. *Cur variæ victus differentiæ sint instituendæ pro varijs anni temporibus, præcipue hyemis atq; veris pag.63.*

Q.51. *Quibus morbis, ætatibus, & consuetudinibus conueniat victus humidus p.65.*

Q.52. *Præter morborum varias differentias, quæ insuper sint inspiciendæ in cuiuslibet victus partitione pag.66.*

Q.53. *Quomodo se habeant ventres ad cibos,*

ætA-

æstate atque autumno, hyeme atque vere pag.67.

Q.54. *Cur illis qui per circuitus habent accessiones, nihil dare oporteat, sed subtrahendum sit adiectioni ante vigorem p.68.*

Q.55. *Cur tam in crisi quæ est in fieri, quam illa quæ est in facto esse, nihil penitus sit operandum pag.69.*

Q.56. *Quando natura mouet imperfecte, quomodo & per quam regionem sit à medico adiuuanda pag.70.*

Q.57. *Prater loca conferentia, quam conditionem requirat humor peccans ad hoc vt à medico educi possit pag.71.*

Q.58. *Cur concocta sint medicanda, & mouenda non cruda, neque in principijs; atq; alia etiam ratio propter quam materia turgens moueri possit etiam in principijs, & quando liceat euacuare vsque ad animi deliquium p.72.*

Q.59. *Cur in acutarum passionum principijs sint raro medicamenta purgantia exhibenda, & si id sit efficiendum, qua cautione sit efficiendum pag.72.*

Q.60. *In somno & vigilia, cibo & potu, quo modo consideretur tum quantitas tũ qualitas; motus & quies consideratur in salubribus; in salubribus & neutris; idem de motu & quiete, excretis & retẽtis p.76.*

Q.61. *Somnus qui lethalis & qui non lethalis pag.79.*

Q.62. *Quomodo ex somni & vigilia excessu vel defectu possimus affectus magnitudinem, atque euentum dignoscere & præsagire pag.81.*

Q.63. *Somnum atque vigiliam modum excedentem esse malum, quomodo dignoscere possimus.pag.82.*

Q.64. *Quomodo excessus in somno & vigilia, cibo & potu, spontaneas inducant lassitudines.p.83.*

Q.65. *Cur aliqui non persentiant molestiam, quæ prouenit ab excessibus, qui fiũt in prædictis sex rebus non naturalibus.p 84.*

Q.66. *Cum extenuatio totius corporis duplici modo prouenire possit, quomodo pro vniuscuiusque conditione sit refectio instituenda.pag.85.*

Q.67.

Q.67. Quibus de caussis contingat, extenuata corpora cibum assumentia, non reflci, & præsidium unicuique accommodatũ. p.85.
Q.68. Quæ præparatio ante expurgationem sit necessaria. p. 6.
Q.69. Cur etiam extenuata corpora ante refectionem indigeant expurgatione, p.86.
Q.70. In difficultate assumendi cibum, quod præsidium sit adhibendum. p.87.
Q.71. Cur corpora, quæ sanitatem iam fuerunt assequuta, incidãt in recidiuã. p.87.
Q.72. Quibus indicijs possimus iudicationem proximè venturam præuidere. p.88.
Q.73. Crisis futura per fluxum, quibus indicijs dignoscatur. p.88.
Q.73. Crisis bonæ per abscessum, quæ nã sint indicia; Et quænam sint impuri corporis notæ. p.89.
Q.74. In quo casu impura corpora non sint expurganda, sed potius cibanda. p.90.
Q.75. Cur famescentes facilius nutriantur à potu, quam à cibo p.91.
Q.76. Cur acutorum morborum non omnino sint prænunciationes certę ad salutem, vel

ad ſalutem, vel ad mortem. p. 92.
Q. 77. *Velociter nutrientium, quod nam exiſtat præſtantiſſimum. pag. 94.*
Q. 78. *Quid de morbis acutis certo prædici poſsit, & qui nam ſit illorũ terminus. p. 96.*
Q. 79. *Ad hoc, vt acuti morbi euentum prædicere poſsimus, quæ ſit ſeruanda regula, & cur acutorum terminus poſsit eſſe dies decimus ſeptimus. p. 97.*
Q. 80. *Quæ nã ſint cauſſa longitudinis, atq; breuitatis morbi, quartana exẽplo demonſtratur. p. 98.*
Q. 81. *Quomodo morbum alteri morbo ſuperuenire ſit bonum, quartana exemplo declaratur. p. 99. & 100.*
Q. 82. *Permanẽtium multo tempore, quæ ſint bona, & quæ ſint mala. p. 100. & 101.*
Q. 83. *Quomodo indicatio curatiua ex vniuerſalibus morbi temporibus eliciatur. pag. 102.*
Q. 84. *Cur ſi quid videtur mouendum, id potius ſit efficiendum in principijs morborum, quam in conſiſtentia. p. 102.*
Q. 85. *Circa initia, & fines omnia eſſe imbecil-*

cilliorœ, quomodo verum sit in morbo, non semper in conualescentia. p. 103.

Q. 86 *Appetentia quamuis aliquando in cõualescentia sit mala, in morbo tamen quomodo semper sit bona. p.* 104.

Q. 87. *In quouis morbo mente non constare, & male se habere ad oblata, quomodo sit magis, vel minus periculosum. ibid.*

Q. 88. *Cur in quouis morbo bene se habere ad oblata sit bonum, contrarium vero malum; & quœ corpora magis, & quœ minus inferna purgationi apta sint. p.* 105.

Q. 89. *Cur qui salubritatem corporis habent cum per medicamẽta purgantur cito exoluuntur. p.* 106.

Q. 90. *Quœ corpora difficulter perferant purgationes. p.* 107.

Q. 91. *Cur in senibus morbi longi maximœ ex parte illos comitentur vsque ad mortem p.* 108. & 109.

Q. 92. *Qui nam sint morbi cito interficientes. ibid.*

Q. 93. *Strangulatorum, qui nam referantur, & qui non. p.* 110. & 111.

Q.94. *Qui habitus sit ad festinam mortem, & qui ad tardiorem magis propensi.* p. 111.
Q.95. *Qui morbi propemodum incurabiles curationẽ admittere consueuerint, & quibus præsidijs.* p. 11.
Q.96. *Morbus comitialis in accessione, quomodo curationem admittat factam quodammodo per similia* p. 113.
Q.97 *Cur dum pus cónficitur dolores, & febres accidant magis quam iam confecto, & cur spontanea lassitudo non auferatur quiete* p. 114.
Q.98. *Cur in omni corporis motu alij citius alij tardius quietem exoptent* p. 115.
Q.99. *Cur illi qui consueti sunt solitos labores ferre & si fuerint imbecilles & senes, fortibus & iuuenibus facilius ferunt.* pag. 116
Q.100. *Permutatio ad insueta, cur & quomodo debeat fieri non plurimum atque repente, sed modice, & paulatim* p. 117.
Q.101. *Cur & quomodo non sit efficienda permutatio ad alia præsidia, etiamsi secundum rationem non succedat* p. 118.
Q.102.

Q.102. *Quomodo & quatenus natura ætatis beneficio consueuerit mutationes efficere in melius p.*119.
Q.103. *Cur & quomodo mutationes temporum fiant potissima morborum causa. pag.*128.
Q.104. *Cur naturarum aliæ magis, aliæ minus afficiantur à magnis mutationibus, aut frigoris, aut caloris p.*130.
Q.105. *Quomodo in quolibet anni tempore vigere possit constitutio autũnalis p.*131.
Q.106. *Constitutio austrina, & aquilonaris, quos nam pariant morbos & symptomata. pag.*132.
Q.107. *Aestas veri similis, quomodo habeat analogiam ad austrinam constitutionem, & quæ symptomata inde proueniãt p.*132.
Q.108. *Aeris constitutio sicca, quos præcipue morbos parere consueuerit p.*134.
Q.109. *In quibus temporum constitutionibus morbi fiant boni vel mali iudicij p.*104.
Q.110. *Autumnales morbi atq; vernales quas nam sortiantur conditiones p.*135.
Q.111. *Autumnus quibus præcipue habiti-*

bus, atque morbis sit pernicioſus p. 136.
Q. 112. Cur autumnus, ſit tabidis malus: atq; hyemi ſiccæ, & aquilonia, ver ſuccedens pluuioſum, & auſtrale, quos nam pariat morbos atq: ſymptomata p. 137.
Q. 113. Ver ſiccum & aquilonium, ſuccedens hyemi auſtrali pluuioſæ, & ſerenæ, quos nam pariat morbos p. 137.
Q. 114. Autumnus pluuioſus, & auſtralis ſuccedens æſtati ſiccæ, & aquilonię, quos pariat morbos p. 138.
Q. 115. Autumnus aquilonius, & ſiccus quibus ſit bonus, & quibus malus p. 139.
Q. 116. Quænam ſit collatio ſiccitatum ad imbres p. 139. & 140.
Q. 117. Quæ ætates melius degant vere & prima æſtate p. 141.
Q. 118. Ver eſſe ſaluberrimum & minimè exitiale, qua cautione ſit intelligendum pag. 142.
Q. 119. Qui morbi præcipue vere fiant & excitentur p. 143.
Q. 120. Æſtate qui præcipue morbi contingant 143. qui autumno, & hyeme p. 144.
Q. 121.

Q. 121. *Qui morbi contingant pàrnis & nuper natis puerulis, atq; ætatum analogia ad anni tempora* p. 145.
Q. 122. *Qui nam sint morbi puerorum dentire incipientium* p. 145.
Q. 123. *Quibus tẽporibus terminentur morbi pueris ante pubertatem* p. 147.
Q. 124. *Qui morbi contingant adolescẽtibus* pag. 147.
Q. 125. *Qui Iuuenibus, atque ijs qui sunt in ætate consistenti constituti, atque senibus* p. 147. & *sequenti.*
Q. 126. *Quomodo nos gerere debeamus in expurgandis vtero gerentibus, si in illis turgeat materia* p. 160.
Q. 127. *Per quam corporis regionem purgandum hyeme, & per quam æstate* p. 163.
Q. 128. *Cur sub cane & ante canem sint difficiles medicationes* p. 164.
Q. 128, *Cur tabidi non sint expurgandi per superiora cum tamen sint graciles* p. 165.
Q. 130. *Melancholici quomodo sint purgandi per inferiora* p. 166.
Q. 131. *Cur in valde acutis, turgente materia*

ria sit medicandum eadem die ibid.
Q.132. *Opportunum præsidium exhibitum in quibus morbis nihil prodesse consueuerit p.*167.
Q.133. *In difficile vomentibus quomodo natura possit ab arte adiuuari p.*168.
Q.134. *Quomodo post assumptum vomitoriũ, natura ad vomendum difficilis possit adiuuari p.*168.
Q.135. *Ne succedat nimia purgatio, quid faciendum* 169.
Q.136. *In quibus habitibus nulla aduenial, quocumque modo facta, expurgatio pag.*169.
Q.137. *Cur carnes sanas habentibus, helleborus sit periculosus p.*170 & 171.
Q.138. *Quomodo dignoscere possimus an corpus sit satis expurgatum nec ne p.*171.
Q.138 *Quomodo dignoscere possimus an morbus sit supra septum transuersum an infra p.*172.
Q.139. *Quomodo aliquando in expurgatione efficienda natura non sit immitanda. pag.*173.

Q.140

Q. 140. *Quæ deiectiones nigræ qualis sanguis niger, vocentur pessimæ; vnde atræ bilis naturam pessimam esse significatur* p. 174. & 175.

Q. 141. *An detur dysenteria lethalis, ab atræ bile non proueniens.* p. 75.

Q. 142. *Cui sanguinis euacuationi succedat alui humectatio* p. 176.

Q. 14 . *Quomodo vel fiat, vel cesset surditas à bile ad cerebrum accurrente, vel inde abscedente* p. 77.

Q. 144. *Cur rigorem in febribus sexto die apparentem subsequatur iudicium difficile* pag. 177.

Q. 145. *Quibus indicijs dignoscamus futurum morbum longum* 178.

Q. 146. *In quibus morbis & quo indicio possimus coniectari abscessus futuros ad articulos, & circa maxillas* pag. 178. & *sequenti.*

Q. 147. *Cur & quomodo à febre vexato collum adeo peruertatur vt vix possit deuorare* p. 80.

Q. 148. *Sudores in febribus qui boni, qui ma-*

mali pag. 181.
Q.149. *Frigidi sudores quomodo sint magis vel minus pernicioſi pro natura febrium quibus ſuperueniunt p.* 182.
Q.150. *Pars affecta quomodo dignoſcatur ab extretis ibidem. Quomodo ex qualitate mutata p.* 183.
Q.151. *Quomodo ex totius qualitate mutata præſagire poſſimus, morbum fore longum. pag.* 183.
Q.151. *Sudor multus, non ex morbo, ſed ex ſomno factus quid ſignificet p.* 183.
Q.152. *Sudor calidus vel frigidus ſemper fluens, quid ſignificet p.* 184.
Q.153. *Febrium quæ magis periculoſæ, & quæ non ſint periculoſæ p.* 185.
Q.154. *Quomodo iudicentur febres longæ. ibidem.*
Q.155. *Calores qui proueniunt circa articulos in febribus longis, qua potiſſimum de cauſſa contingant p.* 186.
Q.156. *Rigor incidens febro non deficiente, ægro iam debili, quid portendat p.* 186.
Q.157. *Excreationum bonarum, & praua-*
rum

*rum in febribus contingentium, quæ nam sint indicia p.*187. *& seq.*
Q.158. *In febribus non intermitentibus aliquarum partium peruersio atque aliarum ablata actio, quomodo proximam mortem denuncient p.*188.
Q.159. *Quomodo ex febrium longitudine possimus præsagire, futuros abscessus, atque ex abscessibus febris longitudinem pagina* 189.
Q.160. *Cur abscessus qui ad primas indicationes non soluunt, longitudinem morbi significent p.*190.
Q.161. *Febrem futuram fortem, quo indicio possimus præsagire* 191.
Q.162. *Qui abscessus antecedant febres bonas & qui malas p.*192.
Q.163. *Cur omnes febres ex bubone sint malæ, præterquam diariæ p.*192.
Q.164. *Cur melius sit febrem superuenire conuulsioni, quam conuulsionem febri. pag.*193.
Q.165. *Cur à febre ardente habito, rigore superueniente solutio p.*194.

Q.166.

Q. 166. *Cur tertiana exquisita septenis circuitibus, quod summum est, terminetur. pag.* 194.
Q. 167. *Quomodo rigor soluat febrem ardentem, atque tertianam exquisitam pagina* 195.
Q. 168. *Quomodo præter illa quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, alia etiã concurrat causſa ad recidiuam efficiendam p.* 195. *& seq.*
Q. 169. *Cur quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur pagina* 97.
Q. 170. *Quomodo & qua lege verum sit, morbum regium superuenire vel septimo, vel post in die tamen impari sit bonum p.* 197. *& seq.*
Q. 171. *In febribus conuulsiones, & circa viscera dolores, cur sint malum p.* 98.
Q. 172. *Cur in febribus timores sint malum pag.* 199.
Q. 173 *In febribus spiritus offendens, cur sit malum p.* 199.
Q. 174. *Vrinæ tenuis multitudo post crassas*

At-

atque grumosas quid denuncient. pagina 200.

Q.175. *Cur quibus septima indicatur, his nubecula appareat rubra in vrina quarta die p.201.*

Q.176. *Quomodo vnus & idem morbus solui possit per varias excretiones, factas per varias corporis regiones p.202.*

Q.177. *Quomodo excretiones facte per varias corporis regiones, possint preseruare ab imminenti morbo.p.203.*

Q.178. *Sanguinis aut puris cum vrina mictio, quos denuncient affectus p.204.*

Q.179. *Caruncule parue aut veluti capilli in vrina quid denuncient p.204.*

Q.180. *Furfuracea in vrina crassa quid denuncient p.205.*

Q.181. *Spontaneus sanguinis mictus quid denunciet ibid.*

Q.182. *Quo indicio dignoscamus, Vesicam laborare calculo p.206.*

Q.183. *Quibus indicijs dignoscatur, arenosas subsidentias indicare potius vesicam quã renes calculo laborare ibid. & seq.*

Q.184.

Q.184. *Vrinæ ſtillicidium quomodo dignoſcatur prouenire potius ex tuberculis in vrinaria fiſtula, quam à calculo veſſicæ. pag.208.*
Q.185. *Quomodo mictio plurima noctu facta contingat citra morbum p. 08.*
Q.186. *Qua cautione ſit validum purgans exhibendum p.218.& ſeq.*
Q.187. *Cur conuulſio ex helleboro ſit lethalis p.220.& ſeq*
Q.188. *Quomodo febris ſuperueniens obmutescentiæ ex ebrietate illam ſoluat, pagina 221.*
Q.189. *Diſtentione capti quomodo iudicentur p.22[illegible].*
Q.190. *In qua ætate morbus comitialis mutationem accipiat p.225.*
Q.191. *Quomodo in morbo laterali ſputum tarde apparens producat morbum, pagina 225.*
Q.192. *Tabes quo determinato tempore in iuuenibus fiant.224.*
Q.193. *Quibus morbi diebus pereant vel ſuppurentur illi quibus fit metaſtaſis ma-*
te-

teria à faucibus ad pulmones pag. 225.
Q. 194. *Quomodo possimus præsagire sanguinis sputum debere in tabitudinem migrare p. 226.*
Q. 195. *Quomodo solum alui profluuium possit in tabidis esse signum lethale, pagina 227.*
Q. 196. *Empyematici qui liberẽtur & qui ad tabem transeant p. 227.*
Q. 197. *Plurimum calefacere quomodo sit naturæ inimicum p. 228.*
Q. 198. *Frigidum quomodo sit naturæ inimicum p. 229.*
Q. 199. *Cur & quomodo curatio aliquando non sit instituenda per contraria, pagina 230.*
Q. 200. *Frigidum quibus morbis sit perniciosum p. 230.*
Q. 201. *Quomodo & quatenus curatio aliquando fiat per similia p. 231.*
Q. 202. *Calidi moderatus vsus cur sanet distentiones, atque in reliquis morbis quas prabeat vtilitates p. 232.*

Q.203. *Frigidi moderati quænam sit vtilitas ad morbos atque symptomata, p.223. & 235.*

Q.204. *Frigidi plurimi atque repente adhibiti vsus quibus partibus sit inimicus, & quos excitet morbos p.234.*

Q.205. *Aquæ leuissimæ conditiones quænam sint 235. Eius potum noctu intempestiuum vt deuitemus quid faciendum, pagina 236.*

Q.206. *Si medicus fuerit coactus validum præsidium in vtero gerente administrare, quomodo suæ existimationi consulere debeat p.238.*

Q.207. *Cur mulierem vtero gerentem capẽ ab aliquo morbo acuto sit lethale, pagina 238.*

Q.208. *Quomodo medicus naturã bene operantem imitetur in phlebotomia, pagina 239.*

Q.209. *Quomodo natura multoties in suis operationibus artẽm antecellat, pagina 239.*

Q.210.

Q. 210. *Cur vtero gerentes numquam sint purganda nisi turgente materia , pagina 240.*

Q. 211. *Quomodo medicus naturam bene operantem imitari possit in vterinis prouocandis , aut partu facilitando , pagina 240.*

Q. 212. *Quomodo natura cum male operatur sit corrigenda p 240.*

Q. 213. *Quo indicio possimus futurum abortum præcognoscere 241. Quomodo masculi aut fœminæ p. 242.*

Q. 214. *Quomodo possit virgo lac in mammis colligere p. 242.*

Q 215. *Sanguinem colligi ad mulierum mammas quid portendat p. 243.*

Q. 216. *Quo indicio dognoscere possimus mulierem concepisse ibid. & 256. esse fœmellam aut masculum p. 244.*

Q. 217. *Cur & quomodo sequatur abortus determinato tempore sine causa manifesta p. 245.*

Q. 218. *Cur aliqua mulieres non concipiant &*

& quomodo tale impedimentum posit remoueri p.246.& seq.
Q.219. *Secunda vt procidant quod præsidiũ adhibendum p.248.*
Q.220. *Mensibus immodice fluentibus quod præsidium sit adhibendum p.248.*
Q.221. *Quibus indicijs prędicere possimus fœtum futurum imbecillem aut sanũ, pag. 250.& 256.*
Q.222. *Quibus indicijs dignoscere possimus fuisse fœtum corruptum, nec ne p.251*
Q.223. *Partus difficilis, & cum periculo, aut abortus periculosus, quibus de caussis contingunt p.252.& seq.*
Q.224. *Cur si menstrua plura fiant, accidunt morbi,& si non fiunt ex vtero morbi contingant p.254.*
Q.225. *Cur non sequatur menstruorum, suppressio, nisi vterus aliquem affectum patiatur p.254.*
Q.226. *Quo indicio dignoscere valeamus an mulier sit sterilis, nec ne.255.*
Q.227. *Vteri mala conformatio, siue intem-*

pe-

peries, quomodo esse possit sterilitatis causa p.257. Quæ sterilitatem efficiant in viris. ibidem.
Q.227. Lac quibus morbis, atque symptomatibus, conueniat, & quibus non. pagina 260.
Q.228. Quomodo vlceribus possint, vel non possint conuulsiones, vel alia symptomata supervenire p.260.
Q.229. Si in vlcere tumor non appareat quid timendum p.261.
Q.230. Tumores, qui boni, qui mali p.261. & seq.
Q.231. Cur in curatione per sanguinis missionem sit seruanda partium rectitudo, & vasorum comunio p.262.
Q.232. Quæ præcipue febris superueniens conuulsioni illam sanet, & cur id contingat p.263.
Q.233. Quomodo prædicere possimus morituros cum sudore, & morituros sine sudore p.264.
Q.234. Quomodo dignoscere possimus ali-

quos non esse multum ventosos p.265
Q.235. Cur in longis leuitatibus intestinorum ructus acidus, qui prius non erat sit signum bonum p.271. & cur in illis inœdia ex fastidio sit signum malum, & cum febre peius p.272.
Q.236. Quomodo possit vnus & idem morbus solui per plures arte factas euacuationes p.289.
Q.237. Cur, qui acidum eructant non valde morbo laterali corripiantur p.290.
Q.238. Cur aqua intercutem laborantibus tussis superueniens sit malum p.291.
Q.239. Cur difficultatem vrinæ iuuet secta vena potius interna, quam externa pagina 292.
Q.240. Quamobrem cancros occultos omnes melius sit non curare, curati cito pereant, non curati longius tempus perdurent pagina 293.
Q.241. Conuulsio, & singultus à quibus caussis fiant p.294.
Q.242. Cur suppuratio in corpore existens

non

non innotescat p. 295.
Q. 243. Si hepar tumore inflammatorio affectum non suppuretur, sed durum euadat, quid portendat p. 295.
Q. 244. Lienosis captis longa difficultate intestinorum, qua mala superuenire consueuerint, & quid ex superuenientibus sit timendum p. 296.
Q. 245. Ileo urina stillicidio superuenienti, quid timendum; & quid sperandum pagina 297.
Q. 246. Vlceribus antiquis perdurantibus, qua mala timenda p. 297.
Q. 247. Si gibbi fiant ex antiqua defluxione ad thoracem, quid timendum, pagina 298.
Q. 248. Lienosis superueniens difficultas intestinorum quomodo possit esse bona, pagina 300.
Q. 249. Qui morbi podagrici faciliorem curationem admittant & qui difficiliorem, pag. 300. Quibus temporibus excitentur, pag. 303.

Q.250. *Quæ in cerebri præcisione necessario supervenient*, p.300.
Q.251. *Venæ sectio, & purgatio, quo præcipue tempore magis conveniant* p.299.
Q.252. *In aliquibus cerebri affectibus quomodo possimus ineuitabilem mortis terminum præsagire, nisi febris apprehenderit*, pag.301.
Q.253. *Oculorum in dormientibus suspectiones, quando, & quomodo sint signum malum & quomodo non* p.302.
Q.254. *Desipientiæ, quænam sint differentiæ, & quid vnaquæque portendat*, pagina 302.
Q.255. *Si melancholicis contingant periculosi decubitus, quæ mala portendant*, pagina 304.
Q.256. *Apoplexiæ qua præcipue ætate contingant*.304.
Q.257. *Quæ mala supra mala necessario eueniant* p.305.
Q.258. *Cur in acutis morbis frigus partium extremarum sit malum* p.314.

Q.259.

Q.259. *Oculorum rubor alteri praua ſymptomati aſſociatus, quid portendat, pagina* 314.
Q.260. *Horror poſt ſudorem quid portendat, pag.*315.
Q.261. *Maiori morbo, ſi minor ſuperueniat quid ſperandum p.*315.
Q.262. *In morbo diuturno faſtidiũ cibi, & deiectiones ſincerę quid portendant p.*316.
Q.263. *Nimię potationi, quę ſymptomata ſuperueniant p.*316.
Q.264. *Si tuberculum intus rumpatur, quę ſymptomata, & cur ſubſequi conſueuerint pag.*317.
Q.265. *Ileo, quę praua ſymptomata ſuperuenire conſueuerint p* 318.
Q.266. *Quomodo inflammatio inflammationi ſuperueniat p.*319.
Q.267. *Inflammatio pulmonis, ſi cerebro communicetur, qui ſubſequatur affectus, pag.*319.
Q.268. *Cur pulmonis inflammationi phrenitis ſuperuenire conſueuerit p.*319.

Q.269.

Q.269. *Quomodo à cauſſa externa peſsimæ inducantur ſymptomata p* 320.
Q.270. *Sanguinis ſputum à capitis ictu proueniens, an ſit formidandum. ibid.*
Q.271. *Cur à ſanguinis ſputo puris ſputum ſit malum p.*320.
Q.272. *Hepatis inflammationi, quod ſymptoma ſuperueniat p.*321.
Q.273. *Vigiliæ modum excedenti, quę ſymptomata ſuperuenire conſueuerint, pagina* 321.
Q.274. *Oſſis nudationi, quod ſymptoma ſuperueniat p.*322.
Q.275. *Cur in oſſis nudatione eryſipelas ſit malum ibid.*
Q.276. *Forti in vlceribus pulſui quod nam ſymptoma ſuperueniat ibid.*
Q.277. *Ventris dolori diuturno quodnam ſymptoma ſuperueniat. ibid.*
Q.278. *Deiectioni ſincerę quod nam ſymptoma ſuperueniat p.*324.
Q.279. *Capitis ictui quando & quomodo deſipientia ſuperuenire conſueuerit p.*324.

Q.280.

Q.280. *Medicamenti valide potioni, quodnã symptoma supcruenire consueuerit, pagina 325.*
Q.281. *Cur ex potione medicamenti conuulsio sit lethalis p.325.*
Q.282. *Cur mulieri utero gerenti si tensio superuenerit fiat abortus p.326.*
Q.283. *Ventris fortis fluxus quibus morbis superueniens eos soluat 327.*
Q.284. *Quomodo excrementa in remotissimis corporis partibus contenta possint per aluũ excerni 328.*
Q.285. *Quæ urina morbi longitudinẽ portendat ibid.*
Q.286. *Quæ urina acutum morbum significet 328.*
Q.287. *Quamobrem quibus urinæ perturbatæ quales iumentorum his capitis dolor vel adsit vel aderit p.329.*
Q.288. *Quæ cautio sit adhibenda ne decipiamur circa urinã existimantis esse vitium totius cum tamen sit vitium renum ibid.*
Q.289. *Abscessus quando expectandi ad spi-*

nẽ

ne musculos internos, & quando ad externos p.330.

Q.290. *Sanguinis vomitus quando salutaris, & quando lethalis p.331.*

Q.291. *Suppurationes in ventrem superiorem quo morbi die fiant p.331.*

Q.292. *Quomodo dignoscendum quando sanguis à thoracis cauitate per urinę vias excretus, profluat à renibus, an à vessica, pag.332.*

Q.293. *Linguæ repentina incontinentia, aut alicuius partis torpor à qua causſa proueniant, & quem portendant affectũ p.332.*

Q.294. *Senes quanta dexteritate purgandi, p.333. Cur mulier non fiat ambidextra, pag.334.*

Q.295. *Si suppurati urantur aut secẽtur, qui euadant & qui pereant p.334. & seq.*

Q.296. *In oculorum doloribus quæ curatiua methodus sit seruanda p.335.*

Q.297. *Aqua intercutem laborantes, si tussis superueniat, quando sint omnino deplorati, & quando non 336.*

Q.298.

Q.298. *In vrinę ſtillicidio, & mingendi difficultate quę curatiua methodus ſit ſeruanda* p.337.
Q.299. *Cur in vrinę difficultate conueniat venę ſectio* p.337.
Q.300. *Sphacelli in cerebro quę nã ſit cauſſa, & qui illius morbi terminus* p.338.
Q.301. *Sternutamentum quomodo fiat; & cur extra erumpens edat ſonum* p.338.
Q.302. *Cur quibuſcumque hepar circumdolent, his febris ſuperueniens ſoluat dolorem* p.339.
Q.303. *Si hepati circumdolenti febris non ſuperueniat quid faciendum* p.340.
Q.304. *Materia inter ventriculum, & ſeptum tranſuerſum collecta dolorem efficiens, per quam corporis regionem tranſlata, dolorem ſoluat* p.341.
Q.305. *Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, quid timendum* p.342.
Q.306. *Quomodo medicus poſſit naturam bene operantem imitari, curationem inſtituẽdo, in anxietudine, oſcitatione, & horrore* p.342.

Q.307.

Q.307. *In qua mingendi difficultate vinum facultatem habeat ſoluendi dolorem, & in qua non p.343.*
Q.308. *Qui affectus proueniãt à capitis ictu, & qui à cerebri concuſſione p.343.*
Q.309. *Cur corporibus carnes habentibus humidas famem adhibere conueniat, pagina 344.*
Q.310. *Si tanta adſit humiditas quæ ſudorem excitet calidum, vel frigidum quę curatio ſit inſtituenda ibid.*
Q.311. *Cur carnes ſanas habentibus non conueniat cibus p.345.*
Q.312. *Quę vrina inſeruiat tamquam ſtatua Policleti p.346.*
Q.313. *Quomodo eadem norma in reliquis ſeruanda ibid. & ſeq.*
Q.314. *Quomodo corpora ante expurgationem ſint prępparanda accuratius indicatur quam aphoriſmo 9. ſecundę ſectionis, pagina 348.*
Q.315. *Quod malum conſequatur ſomnum atque vigiliam quando modum excedunt, pag 349.*

Q.316.

Q.316. *Cur aphorismus 48. quartę sectionis fuerit repetitus p.350.*
Q.317. *Cruditates quem nam affectum progignere consueuerint ibid.*
Q.318. *Alui profluuio quod symptoma superuenire consueuerit p.350.*
Q.319. *Difficultati intestinorum quid superueniat p.351.*
Q.320. *Abscessus ossis quandoq; timẽdus ibid.*
Q.321. *Sanguinis vomitui quę symptomata aliquando superuenire consueuerint, pagina 352.*
Q.322. *Breuissimus proponitur omnium fere dictorum Epilogus p.353.*
Q.323. *Primus totius operis aphorismus, ex hoc omnium postremo declaratur, & roboratur p.353.*

FINIS.

PRÆFATIO
ad vniuersum aphorismorum aphoristice explicatorum opus.

QVisquis es (amice Lector) qui nostram hãc inscriptionem redar. guis, te magnum Hippocratem redarguere memento; in ipso statim opusculi vestibulo admonet, artem medicam respectu vitæ esse longam, adeout alicubi animaduerterit Gal. quod si humana vita in triplum produceretur, non tamen esset sufficiẽs ad artem perfectè addiscendam, atque exercendam. Hinc, virorum omnium doctissimorum consensu, fuit impulsus vniuersam artem ad compendium

Inscriptionis ratio ex Hipp. eruitur, atque Galen. atque aliorum testimonio roboratur.

ATENEU VENETO VENEZIA

redigẽdi atq; (vt nos existimamus) artem magnã, paruã efficiendi, vt videlicet inseruiret tironibus ad introductionem, atque eruditis, & cosummatis viris ad memoriam. Prudentissimum Senem, inter reliquos, imitati fuere Galenus in sua arte medicinali, atque Auicenna in prima Fen. Concedes Hippocratem quidem totius artis summa quædam, atque generalia rerũ capita, penes indicatum institutum proposuisse, nõ tamen id propterea artem parnam esse appellandam, tum quoniam plurima in vniuersa medicina continentur, quæ hic ab Hippocrate prętermissa fuere: tum etiam quoniam ad artis perfectam constitutionẽ necessarium est, vt alicui ordini innitatur, cum tamen hoc opusculum sit ordine destiturum.

Obiectionibus in cõtrariũ allatis satisfit.

Ve-

Verùm quod ad primum attinet, iam magna ex parte, in nostra manuductione, aduersus communem sententiam, indicatum est, aphorismorum opus omnia in medicina contenta, excepta pulsuum tractatione, admirãda breuitate complecti; diximus magna ex parte, quoniam ibi nostrã posuimus sententiã, eius copiosa fundamenta ad hoc opusculum reseruauimus, ac alibi, Deo fauente, id vberrimè demõstrabimus. Quod verò ad ordinem spectat, scio nõ defuturos, qui nostrã hanc prouinciam irrideant, cũ hucusque neque Galenus, neque alius quilibet Græcorũ interpretum, id proponere tentauerint, quod si aliquis Latinorũ id conatus fuerit demonstrare, fuit tamen solum conatus quidam. Cæterum fatemur quidem no-

bis aliquãdo non modo arduã, verùm etiam impossibilem visam fuisse, quoniam scilicet iurauerant in verba magistri, qui tãtum abest vt ordinem admittat, vt etiam nexum inter aphorismos rarò admodum adinueniat.

Verùm admirandum, quomodo vir, alioqui oculatissimus, non animaduerterit, suam dictam artem paruam magna ex parte in aphorismorũ opere contineri; hoc tantum discrimine, quod ipse appellauit scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum, antiquus verò magister maluerit appellare artẽ salubrium, insalubrium, & neutrorum. Verùm omissa controuersia an sit ars, vel scientia, de qua satis alibi à nobis dictum fuit, ad id quod magis vrget accedamus; si accuratè prædictũ apho-

Galeni negligentia.

aphoriſmorum opus perluſtremus, reperiemus nullum eſſe aphoriſmum, qui non ſit de ſalubribus, in ſalubribus, vel neutris; quinimò qui in prima ſectione ſecũdus appellatur quãuis præcipuè de inſalubribus videatur intelligendus, eſt tamen etiam veriſſimus de ſalubribus, ac neutris. Tertius quamuis videatur ſolum de ſaluberrimis intelligendus, eſt tamen etiam de neutris; ſunt autem qui in extremo conſiſtunt, *neque enim poſſunt in eodem permanere, neque quieſcere, cum vero nõ quieſcant, & non poſſint in melius proficere; reliquum eſt igitur, vt decidant in deterius* : vt paucis multa complectar, nullus eſt aphoriſmus, qui non loquatur vel de corporibus, vel de cauſſis, vel de ſignis ſalubribus inſalubribus, aut neutris; quod ſi

velis etiã cuiuſque membri diuiſionem, atque ſubdiuiſionem vſque ad vltima indiuiſibilia, non erit admodũ arduum illa adinuenire ijs, qui noſtra legerint commentaria; quòd ſi velis huic ordini præfigere definitionem, atque cũ Galeno vocare ordinẽ definitiuum; nos, qui verborum aucupes non ſumus, id etiam admittemus: interim ipſam medicinæ definitionem ab Hippocrate aphoriſmorum opuſculo præfixam fuiſſe, in primi aphoriſmi commẽtario demõſtrauimus; quòd ſi renuas apud nos quærere, hic tibi adſcriptam exhibebo. *Medicina eſt ars, quæ reſpectu humanæ vitæ eſt breuis, in qua occaſio eſt præceps, experimentum periculoſum, & iudicium difficile.* Quod autem ars medica tale quid exiſtat, à dictatore com-

Artis medicæ definitio exprimo aphor. ab auctore deprompta.

pro-

probatur à signo, si quidem *non satis est medicum suum præstare officium, verum etiam, & assidentes, & exteriora esse bene cõparata*, & quæ omnia ars medica à reliquis artibus segregant, quemadmodum ibi satis superque demonstratum est.

Cur auctor ordinem seruatum à Gal. prætermiserit, atque methodus seruatio vtilitas non modo ad introductioné verum etiam ad memoriam.

Fateor, me aliquando compulsum fuisse ad hoc opus hũc in modum conficiendum, calamum tamen ab hoc opere reuocaui, quoniam, etsi sperarem illud tironibus posse euadere non inutile; nihilominus animaduerti alium esse modum, cui prædictus ordo resolutiuus potest indicari, multo magis ad dictatoris mentem. Quoniã scilicet proposuissemus quidẽ aphorismos ordine resolutiuo; seu aphorismorum opusculum ad methodum resolutiuam reduxissemus; tamen prætermisis-

ſemus alium admirandum ordinem ab ipſo dictatore propoſitum, qui (vt diximus) quamuis à nemine fuerit indicatus, non tamen debemus ipſum in tenebris detinere. Si veritatem vndiquaq; attigerim, erit quod gaudeam me de humana ſocietate bene mereri; ſin minus, nõ omninò pœnitebit, ſi quidem in magnis voluiſſe ſat eſt; fortaſſe poſteris occaſionem præbebo præſtantiora in lucem edendi. Interim ſperamus noſtrum hoc opuſculum non exiguam vtilitatem, eruditis etiam viris allaturum; ſi quidem non modo proponit, atque euidentiſſime cõprobat admirandi ſenis hactenus inauditum artificium, verum etiam ſingulos aphoriſmos facillima, atque euidentiſſima breuitate per ipſum Hippocratem illuſtrat.

An-

Antequam verò vlterius progrediamur ſupponendum tanquam ratum, quod in noſtra manuductione ex Hippocrate, Ariſtotele, atque reliquis ſapiẽtiſſimis viris fuit pronunciatũ, nempe medicinam eſſe artem, quo poſito cũ artes omnes ordine tradantur reſolutiuo, nempe à notione finis, ad ea inuenienda, quæ ad prædictum finem aſſequendum ſunt neceſſaria, quemadmodum patet ex Philoſopho in libris priorum, ac poſteriorum analyticorum, ſexto ethicorum, quinimò ex ipſo etiam Galeno in arte parua, atque Auicenna in prima Fen; hinc deducimus nos debuiſſe, & voluiſſe artificioſiſſimum dictatorem, à notione finis, qui in medicina eſt ſanitas, omnia illa indagare, quæ ad ipſum finem aſſequendum ſunt neceſ-

Quomodo progrediatur Hipoc. à notione finis, ad illa omnia inuenienda, quæ ad finem, aſſequendum ſunt neceſſaria.

ſa-

ſaria, id quod manifeſte in ipſo præſtitit aphoriſmorum opere. Nam quod primum ad finẽ attinet, illum propoſuit in ipſo ſtatim primo aphoriſmo, quem totius opuſculi prohæmiolum nſicupamus. Quod etenim pronunciauit. *Vita breuis, ars vero longa, occaſio præceps, experimẽtum periculoſum, iudicium difficile* nihil aliud eſt, quam indicare impedimenta, quæ multoties ſunt in cauſſa, vt medicus prædictum finem, hoc eſt ſanitatem, non aſſequatur: quando etiam ſubdit. *Nec ſatis eſt ſe ipſum præſtare opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes, & exteriora eſſe ad id probe cõparata*, alia proponit impedimenta, quæ non ab ipſa artis conſtitutione, ſed potius ab extrinſecis videtur depẽdere. Verum vt prædictus finis melius per-

percipiatur, non eſt prætermittendum ſubiectum, circa quod ipſa tota ars medica, & conſequenter hoc ipſum opuſculum verſatur, eſſe humanum corpus quod à Gal. libro de partibus artis medicæ capite 8. ſecunda materia nuncupatur, non quatenus eſt humanum corpus, ſed quatenus eſt ſanabile; niſi etenim hoc tanquam verum ſupponamus, nulla ratione differt ſubiectum medicinæ à ſubiecto naturalis diſciplinæ. Quapropter philoſophia hominẽ conſiderat, quatenus eſt corpus naturale; morum diſciplina, vt eſt diſciplinabile; medicina quatenus eſt ſanabile, adeo vt ſubiectũ in his tribns diſciplinis ſecundum rem conſideratam ſit vnum, & idem; differat tamen penes modũ conſiderandi; quæ ratio formalis ex Ariſtotele pri

Homo quo modo ſit ſubiectũ medicinæ, ex Ariſt. atque Gal. declaratur, eiuſdé artis finis, qui nã exiſtat, & quotuplex.

mo

mo Rheticorum in principio, & Gal. ad Trasibulum cap. 28. est finis per quem artes constituuntur, atque inuicem distinguuntur, est autem qui à logicis vocatur *finis cui*.

Alius verò medicinæ finis, per quem adhuc magis medicina à prædictis distinguitur disciplinis, appellatur finis *cuius gratia*, est autem ex Arist. & Gal. propriè loquend, o non sanitas, sed scopus ipsius acquirendæ. Distinguuntur autem hæc à Gal. libro de sectis in principio, dicente, *Sanitas est medicinæ scopus, finis verò est comparatio sanitatis*; id autem optima ratione dictum fuisse à Gal. ex eo colligimus, quod si accurate perpendamus, in hoc ars medica à pluribus artibus distinguitur, quod hæ dummodo artifex sit peritus, atq; materiam

Finis cuius gratia ex Arist. atque Gal. qui nã sit, demonstratur prædictos auctores suã sententiam ex Hipp. mutuasse.

riam idoneam nanciſcatur, sẽ-
per ſuum aſſequitur finem, eſt
autem finis, in ſubiectam mate-
riam, conceptam formã intro-
ducere; medicus autem non sẽ-
per aſſequitur optatum finem;
id quod ante Gal. explicuit Ari-
ſtoteles primo Rhetoricorũ ad
Theodectem, quando inquit,
Non eſt finis medicinæ ſanitatem
introducere, ſed quouſque poſſibi-
le bene curare, quia recte cura-
mus etiam inſanabiles; neque
nautæ finis eſt portus, ſed inueni-
re modum, quo poſſimus portum
adipiſci neque Rhetoris finis eſt
perſuadere, ſed apte dicere ad
perſuadendum. Gal. etiam ſecũ-
do methodi cap. 7. atque alibi
Ariſtotelis ſententiæ ſubſcribe-
re videtur, quando inquit. *Finis*
propoſitæ tractationis eſt inueni-
re præſidia vt bene curemus. A-
uerroes primo colliget cap. 1.

hæc

hæc habet. *Finis medicinæ non est ad ſanandum, ſed faciendum quod poſſibile eſt in arte.* Verum hi omnes præclari viri, prædictam doctrinam ex Hippocrate deprompſere in vniuerſo hoc aphoriſmorum opuſculo, præcipue vero primo huius ſectionis, atque poſtremo vltimæ ſectionis, hæc autem quid aliud ſibi volunt, quam medicum teneri quidem ſuum præſtare officium, non tamen ſemper aſſequi optatum finem, ob magna impedimenta, quæ in ipſa arte medica contingunt, eiuſmodi autem impedimenta, vt diximus eo præcipuo inſtituto proponit in primo aphoriſmo, vt accuratus, & prudens medicus procuret ea pro viribus remouere; quomodo autem id præſtare poſſit, admirando ordine declarat, quoniam etenim

Apud eruditum atq; exercitatū medicū experimentū eſt minus periculoſū & iudiciū minus] difficile,

dixe-

dixerat. *Experimentum periculosum, iudicium difficile*, in ipso statim aphorismo. 11. demonstrat quomodo experimentum periculosum possit fieri nõ periculosum,& iudicium difficile, non difficile; nempe si medicus pro viribus naturam bene operantem immitetur, quæ scilicet in perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si euacuat talia,qualia euacuari oportet sequitur conferentia, atque tollerantia, sin minus e contra; quod idem efficiendum in uasorum inanitionibus, quæ .s. ſi tales fiãt, quales fieri oporteat, confert, & facile ferũt, sin minus e contra; quomodo autem medicus has immitari debeat spontaneas, per vniuersas corporis partes, factas euacuationes, in progressu cum Hippocrate demonstrabimus.

Quod

Medicus debet esse diligẽtissimus in pręcipiti occasione arripiẽda,

Quod verò ad occasionẽ attinet, quomodo sit arripienda, demonstrat aphorismo tertio exercitatorum exemplo, quando inquit. *His de caussis bonum habitum statim soluere expedit.* Quoniam vero occasio est magis præceps in morbis acutis, quam non acutis, id prosequitur etiam edocere, ab aphorismo quarto, vsque ad finem primæ sectionis, in quibus (quemadmodum videbimus) pro minori, vel maiori acutie morbi indicat occasionem esse minus, vel magis præcipitem, & consequenter citius, vel serius illam arripiendam, quod etiam euidentius repetit in aliquibus aphorismis quartæ sectionis.

Iudicium esse difficile non modo ĩ præsidijs adhibẽdis; verũ etiam in euentu prædicẽndo.

Quoniam autem vidit diuinus Senex iudicium esse difficile, non modò in præsidijs adhibendis, verùm etiam in euentu præ-

prædicendo; id propterea in secunda sectione, accuratissima demonstrat methodo, quomodo tam in curando, quã in prædicendo possit euadere iudiciũ minus difficile, quod declarat facta consideratione in sex rebus non naturalibus. In somno, & vigilia tribus primis aphorismis. In cibo, & potu aphor. 4. 7. 8. 11. & reliquis. In motu, & quiete 5. 6. & 16. In excretis, & retentis 8. 9. 10. 12. 14. 15. & reliquis, atq; vt summatim dicam, dum Hippocrates totam impendit sectionem in prædictis declarandis, plurima interponit, quibus iudiciũ euadat non difficile, tam in prædicendo, quàm in operãdo. Quoniam verò dixit, *non satis esse medicum suum præstare officiũ, nisi etiam & ager, atque assidentes*; hæc impedimenta quomo-

do remouere possit aphoris. 8. 32. & 33. docet. Quæ vero spectãt ad aeris mutationes, exactè considerat ab initio tertiæ sectionis vsque ad 23. in quibus aphorismis varias proponit aeris mutationes, vt medicus illas dignoscens, minus aberret in prædicendo, vel præsidijs administrandis, nãque quòd ad prædictionem attinet, facilius euentum prænunciabit, si præuiderit affectum ab externa caussa ortũ duxisse; consequenter etiã magis apposite administrabit præsidia, si dignouerit an morbus ab externa, an potius ab interna causa originem traxerit; quemadmodum ex.gr. quando aphorismo 5. ĩquit. *Austri audiũ hebetãtes, caliginosi, &c.* optimè aduertit Galen. esse animadvertendũ, num id quod accidit contingat ratione morbi, vel potius

tius ob cauſam externam, quoniã ex hac conſideratione prædicendi artificium clarius euadit. Rurſus ab exterioribus euadere iudicium difficile, clarũ eſt, quoniam ſi medicus in aliquo morbo ſua natura non lethali, pollicitus fuerit bonum euentum, poſſunt magnæ temporum mutationes, aut frigoris, aut caloris, poſſunt, & ipſa tempora quomodolibet inconſtantia, totum negotium adeo turbare, vt euentus, qui videbatur ſalutaris, euadat funeſtus; quemadmodum è contra, permanente bona aeris cõſtitutione, ſubleuatur quilibet æger, adeò vt iudicium non euadat difficile, quod ſummatim complexus eſt aphoriſmo 8.

Quoniam etiam cuilibet ętati, ſui contingunt peculiares morbi, & aphoriſmo 34. ſe-

Ordo reſolutionis quomodo ab Hippocrate inſti-

tutus, atq; seruatus fuerit,

cundæ Sectionis dictum fuerat, quod minus periclitantur quorum ætati cõuenit morbus, quam quibus non conuenit, id propterea, vt iudicium euadat minus difficile, tam in prædicendo, quàm in operando, reliquos prædictæ tertię Sectionis aphorismos impendit in demonstrando, qui nam morbi sint cuilibet ætati magis congruentes.

Quod verò spectat ad animi pathemata de illis mentionem facit non modo aphorismo citato secundæ Sectionis, in quo verba facit de mentis constantia, vel inconstantia: verum etiam vbicunque loquutus fuit de animi perturbationibus.

Admirandum senis artificium seruatum in primis

Sed quamuis hæc verissima sint, non tamen adhuc apparet Hippocratem in hac sua doctrina; certam quãdam methodum in-

indicasse, per quam iudicium tum in prædicendo, tum in præsidijs administrandis possit fieri facile, si quidem in prædicta tertia Sectione de causis tãtum externis verba fecit, iam verò scire est rem per causam cognoscere, non quamlibet, sed propter quam res est, nempe proximam, quamuis etenim medicina non sit scientia, sed ars, est tamen vt alibi diximus subalternata naturali disciplinæ; atque proinde si in morbo est causa proxima remouenda, illa est primum dignoscenda. Verùm animaduertendum de his etiam causis internis loquutum fuisse dictatorem, cum etenim, *non solum quid est conferat ad dignoscenda accidentia uerũ etiam accidentia secundum magnam partem conferat ad cognoscendum ipsum quid est*, hinc factum

quatuor sectionibus.

ctum est, vt in totius operis progressu quamplurima proponat accidentia, per quæ nos manuducit præceptor, ad internas morborum causas dignoscendas, vt si fieri possit, illas remoueamus, (iam verò remouendi modos vbique fere proponit) vel saltẽ funestum euentum pronunciemus. Quoniam verò ex non paucis aphorismis colligitur, causarum internarũ alias esse manifestas, alias verò non manifestas, id propterea diuinus Senex in quarta, in quinta, sexta, atque septima Sectione, quamplurima proponit signa, per quæ prædictas causas tam manifestas, quàm non manifestas venari, & consequenter recte remouere, atque futurum euentum accuratius prædicere valeamus: prædicta autem signa sunt vel dia-

gno-

gnoſtica, vel prognoſtica, vel ad morbi lõgitudinem, vel breuitatem, ad ſalutem, vel ad mortem vel certam, vel dubiam. Incœpit verò primum à cauſis, quoniam indicare voluit curationis intelligentiam eſſe primum in intentione, quamuis in operatione, ſeu actu medendi ſit poſtremum. Quod autem prius auſpicatus fuerit ab accidentibus, quæ febribus contingunt, quod præſtitit in quarta Sectione, hoc non ſine maximo artificio factum eſt, ſic expoſcente ordinis reſolutiui lege, ſunt febres morbi vniuerſales totius, & partiũ, quamuis etenim in prædicta quarta Sectione aliqua proponat accidentia ad morbos partium attinentia, ſunt tamen pauca admodum, eaque ad præcedentium, vel declarationem, vel comproba-

tionem conſcripta.

Eiuſdē artificiū ſeruatū in reliquis ſectionibus.

Contrario vero quidam modo progreditur dictator ſectione quinta, ſexta, & ſeptima, quāuis etenim quæ in illis proponit ſigna, tam diagnoſtica, quam prognoſtica, ſint ſecundum magnam partem ad morbos partium attinentia; fuerunt tamen aliqua de febribus conſcripta, non modo ad prædictorum maiorem intelligentiam, verum etiam quoniam id conexionis ratio expoſcere videbatur. Non eſt autem ſylentio prætereundum, quod in ſignis prognoſticis recenſendis, longè plura ad mortem, quam ad ſalutem ſigna pertinentia connumerat, non modo, vt illa, quæ de medicinæ difficultatibus in prohemio dicta fuere, magis eluceſcerent; verum etiam, vt addiſcētium ingenia magis e-

xer-

xercerentur ; namque ex Arist. secũdo Ethicorum artes, & virtutes versantur circa difficiliora, quasi voluerit demonstrare dictator, artem medicam magis versati circa morbos curatu difficiles, in quibus magis sũt certa signa ad interitum, quam in curatu facilibus ad salutem, quẽadmodũ Plinius animaduertit.

Admonitio auctoris.

Quoniam autem vt dictum est sectione quinta, sexta, & septima magis considerat accidẽtia morborum particularium, quam febrium ; est tamen animaduertẽdum, hanc signorum enumerationem, non esse vbique vniformem, quemadmodũ aliqua ex parte in progressu huius opusculi videbimus; fiet autem magis manifestum. D. F. ex nostris in lucem edendis commentarijs. Interim sciendum est, septimam sectionem esse fe-

re totam de ſuperuenientibus, quæ in arte medica tanti ſunt momenti, vt ex his ſolis poſſit medicus indagare, vel bonam, vel malam morbi conſtitutionem, quemadmodum ipſe indicauit aphoriſmo 12. primæ ſectionis.

Demõſtrat auctor quo modo Hip. ordinẽ reſolutiuum à ſe ĩ aph. ſeruatũ introduxerit, atque propoſuerit, quod fit per cõpẽdiariam ſe cũdi aphoriſmi explicationẽ ab ipſo adinuentam.

Quamuis autem ex hucuſque dictis manifeſtũ ſit, Hippocratem à notione finis progreſſum fuiſſe, ad omnia media inueniẽda, quæ ad prædictum finem aſſequendum ſunt neceſſaria, quę vt vidimus eſt peculiaris conditio ordinis reſolutiui: aliud tamen latitat in eius doctrina magis admirandum artificiũ; quod certe quamuis à nemine (quem ego viderim) fuerit indicatum, fuit tamen ab ipſo propoſitum adeo euidenter, vt non parum gauiſus fuerim, quando poſt mea edita commentaria, illud ad-

adinueni. Est vero ipsum antiquum magistrum, post suum confectum prohemiolum, prædictum ordinem introduxisse, atque proposuisse in ipso statim secundo aphorismo, quem ordinem ipse seruauit in vniuerso aphorismorum opere. Quod vt accuratius demonstremus, lubet prædicti aphorismi compendiariam explicationem ex nostris elicere auctis commentarijs. *In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si tali purgentur, qualia purgari oportet confert, & facile ferũt, sin minus contra. Sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debeat, confert, & bene tollerant, sin minus contra. Inspicere igitur oportet, & regionem, & tempus, atque ætatem, & morbos in quibus cõueniat, aut non.* Causla propter quam in prima no-

noſtra editione nobis latuerit admirandi ſenis artificiũ fuit, quoniam cum omnibus interprætibus, pinguiũ tantum minerua, ſingula in preſenti, atq; ſubſequenti aphoriſmo contenta perceperimus, cum etenim ex Hippocrate libro de flatibus medicina nihil ſit aliud quam ablatio eorum, quæ ſuperfluũt, atque additio eorum, quæ deficiunt; aphoriſmo ſecundo cõplectitur omnia, quæ quocunq; modo auferuntur, hoc eſt ad euacuationem attinentia; in tertio aphoriſmo paucis ad euacuationem propoſitis, loquitur præcipue de his, quæ ad additionem magis videntur pertinere. Quoniam vero ex Gal. locis alibi citatis, præcipua artis medicæ pars eſt eorum, quæ pertinent ad euacuationẽ; prius de illis loquutus fuit aphoriſmo.

mo. 11. postmodum vero aliqua tetigit aphorismo 111. ad additionem attinentia . Diximus aphorismo secundo omnia fuisse complexum , quæ ad euacuationem magis pertinere videbantur, quoniam cuncta in omnibus Hippocratis operibus , & consequenter in aphorismorum opere, ad euacuationem per quamcunque corporis partem , atque quomodocunq; etiam factam,complectitur.

Sed cum illa,quæ attinent ad ventris perturbationes , atque vomitus spõtaneos sint aliquatenus manifesta , deueniamus ad vasorum inanitionẽ , in qua declaranda maxima pars impenditur illorum , quæ in vniuerso aphorismorũ opere continentur . Existimamus etenim aduersus communem omnium interprætum sentẽtiam per vaso-

Per vasorum inanitionẽ quã multa cõplectatur Hipp.

sorum inanitionem esse intelligendam cuiusuis sanguinis excretionem per quamcunque corporis regionem factam, nimirum per os, per nares, per menstrua, ex hepate, intestinis, per hemorroidas, cum lotio; idem etiam intelligendum de pure, de ramentis furfuraceis, calculis, arenulis, laminis. Est etiam intelligenda seminis excretio, vrina, sunt intelligenda sputamina, muchi, qui per nares excernuntur. Sunt intelligendi abscessus, sudores, lachrimæ, lac è mammis, atque tandem flatus ipsi, qui per varias corporis regiones excernuntur, vel quomodolibet transmittuntur. Verùm vt cõmodius aphorismi diuitias expendamus, vlterius progrediendum. Ventris perturbationes vel sunt copiosæ, vel diminutæ, vel medio mo

do

do ſe habent, ſi ſunt copioſæ, vel ſunt ſinceræ, vel fiunt cum ſubſtantiæ atque colorum mutatione: ſi diminutæ, vel cum incitamentis, vel ſecus. Vomitus etiam eandem ſortiuntur diſtinctionem. Sanguinis excretiones per prædictas tã multas corporis regiones, ſunt, vel pituitoſi, vel biliоſi, vel melancholici, vel atrabiliares; conſimiliter vel magna copia, vel exigua, vel medio quodam modo ſe habens. Vrinæ eaſdem, quinimo plures ſortiuntur differentias in quantitate, in ſubſtantia, in colore, in contentis, atqüe excernendi modo. Eædẽ differentiæ ſunt conſiderandæ in ſeminis excretione. Sputamina ſunt pituitoſa, biliоſa, purulenta, atque varios inſuper ſortiuntur colores, quemadmodum ſuo loco fiet manifeſtum.

Su-

Sudores ſimiliter, vel ſunt vniuerſales, vel particulares, calidi, vel frigidi, copioſi, vel diminuti, aſſiduè fluentes, vel interpollate. Abſceſſus ſunt, vel interni, vel externi, ſuperni, vel inferni, in partibus nobilibus, vel ignobilibus, per modum vnius, vel per modum plurium, ſi per modum plurium, quales præcipue ſunt puſtulæ, ſunt vel latæ vel acuminatæ. Lachrimæ ſunt voluntariæ, vel inuoluntariæ. Flatus excernuntur, vel per infernam ſedem, vel per os, qui dicitur ructus, vel per nares, & dicuntur ſternutamenta; vel traſmittuntur ad artus, atque efficiunt pandiculationes, vel ad oris muſculos atque efficiũt oſcitationem, vel inter mẽbranas permanent concluſi, atque efficiunt palpitationem. Ad vaſorum denique inanitiones at-

ti-

attinẽt rigores, horrores, atque alia huiuſmodi. Prætereà ructus ſunt acidi, vel non acidi. Rurſus plures ex prædictis excretionibus, ſunt vel ſpontaneæ, vel arte factæ, id quod inter reliqua manifeſtè de ſternutamentis indicauit ſenex. Mẽſtrua etiam diuiduntur in rubra, alba, atque variorum colorũ. Ad vaſorũ tandẽ inanitionem pertinent partus, abortus, ſecundinæ, atque hæc ẽxeunt vel ſpõte, vel arte, quẽadmodum ipſe indicauit Hippocrates. Ex illorum omnium, quæ exterminuntur analyſis à dictatore vni co aphoriſmo admiranda breuitate propoſita, atque à nobis ſummatim indicata.

Propoſita aphoriſmi explicatio ex ipſo Hippoc. ab auctore deprompta.

Quod verò hæc omnia ſummatim complectatur Hippocrates prædictis dictionibus, *Sic & uaſorum inanitio* ex eo facile dignoſces, quòd ipſe dictator, hæc

omnia accuratissimè consideret, per vniuersum aphorismorum opus. Quòd verò eius mens fuerit prædictum à nobis indicatum ordinem seruare, ex eo colligimus, quod id ipse manifestissimis verbis protestetur, quãdo inquit. *Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non.* Quasi voluerit admonere, quod in quacunque prædictarum excretionum, si talia excernantur, qualia excerni oportet sequi cõferentiam, atque tollerantiam: sin minus, contra. Adhuc tamen, vt quamlibet prędictarum excretionum inspiciẽtes, dignoscamus an futura sit cum conferentia, vel contra, inspiciendam esse regionem, & tẽpus, & ætatem, & morbos, in quibus conuenit, aut non; id quod ipse præstat Hippocrates, namque quod ad regionem ar-

attinet, cum breuissimum aphorismorum opus, non sit idoneum ad longam regionum orationem suscipiendam, de ipsis contentus fuit pauca dixisse aphorismo 17. primæ sectionis, atque aphorismo 3. sectionis tertiæ. Quòd verò pertinet ad varias temporis constitutiones, de illis abundè loquutus fuit tertia sectione, ab aphorismo primo, vsque ad 24. à quo vsque ad finem eiusdem sectionis de ætatibus mentionem fecit; quapropter cum ibi demõstrauerit, qui morbi, atque symptomata, quibus cõueniant temporibus, atque ætatibus, iam inde manifestum, quod si omnibus cõueniat morbus, seu symptoma, euacuantur talia, qualia, & consequenter sequitur conferentia, atq; tolerantia sin minus è cõtra.

Verùm obijcies aduersus nostrã hanc sententiã; multa reperiri in

Obiectioni aduersus nostrã sententiam respondetur.

aphorismorum opere, quæ secũdo hoc aphorismo, sic etiam à nobis explicatonon continentur, quemadmodũ quod de tam multis morbis, alijs morbis superueneintibus asseruit, qui vel superueniunt ad salutem, vel ad mortem, absque vlla euidenti extensione. Verùm si dictos morbos accuratè perpendas, reperies tam ad bonum, quàm ad malum, aliquam efficere vasorũ inanitionẽ; quando etenim dixit aphorismo 70. quintæ sectionis. *A quartana capti non admodum à conuulsionibus capiuntur, si verò prius capiantur, & quartana superuenerit liberantur*; En morbum alteri morbo superuenientem ad salutem, superueniens tamen ideò liberat à conuulsione, non modo quoniam transponitur materia conuulsionem efficiens ad venosum genus, quæ est vasorũ quædam

dam inanitio ; verùm etiam materia conuulsionem efficiens discutitur à rigoribus, qui multi in quartana contingunt, quæ alia est vasorum inanitio : quando etiam inquit Hippocrates. *A dolore laterali peripneumonia malũ*; siue fiat totius materiæ, quæ dolorẽ lateralẽ efficiebat transpositio ad pulmones, siue eius portio in pleura commoretur, altera verò ad pulmones migret, hic etiam est vasorum inanitionẽ intueri.

Quoniam etiam dictum est nu per cum Hippocrate, alicui morbo posse aliquam superuenire excretionem cum conferentia, atque tollerãtia, vel cõtra ; ne id sic intelligas, vt vnico affectui vnica cõtingat excretio, namq; possunt etiã plures contingere, sic etenim habet aphorismo 73. quartæ sect. *Quibus illa suspensa murmurans, lumborum dolore superueniente,*

Cautio in prædictis seruanda.

his alui humectantur, niſi flatus erumpunt, aut vrinæ multitudo proueniat, hæc verò in febribus. Aphoriſmo 49. demonſtrauit plures vaſorum inanitiones poſſe vnico morbo ſuperuenire ad interitum. *In febre non intermittente, ſi labrum, vel oculus, vel naſus, vel ſupercilium peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili exiſtente corpore, quidquid horum euenerit mors proxima eſt.*

Vlterior aphoriſmi explicatio ab auctore proponitur.

Cum vnaquæque ex prædictis excretionibus, poſſit fieri cum conferentia, & tollerantia, vel è contra, vel cum conferentia abſque tollerantia, quemadmodum *in valida virium proſtratione ſi rigor incidat febre non deficiente* ex aphoriſmo 46. quartæ ſectionis; vel cum tollerantia abſque conferentia, quemadmodum. *Febricitanti ſudor ſuperueniens febre non deficiente malum, prorogatur*

gatur enim morbus, atque multam significat humiditatem, atque vt dictum est, vnaquæque ex dictis excretionibus possit fieri tum à natura, tum ab arte; hinc est, quod tam ingens succrescit numerus aphorismorũ ad euacuationem pertinentium, vt fere vniuersum aphorismorum opus cõstituat, dixi *fere*, quoniam vt nuper dictum est, cum ex loco citato, medicina non modo sit ablatio eorum, quæ superfluunt, verum etiam additio deficientium; atque aphorismorum opusculũ vniuersam artem medicam complectatur, erant etiam aliquot aphorismi ad repletionem, quinimo (horu m occasione) ad alterationẽ etiã attinentes conscribendi; id quod ipse significauit dictator aphorismo 22. secundæ sectionis, quando inquit. *Quicumque morbi ex repletione fiunt cu-*

rantur euacuatione, & quicunque ex inanitione, curantur repletione, & aliorum contrarietas.

Verùm quod ad repletionem attinet animaduertendum, eius etiam aliquam resolutionem cõfeciſſe dictatorem totius in ſuas partes, ſeu generis generaliſſimi in omnes ſuas ſpecies per oppoſitas differentias; quando etenim aphoriſmo tertio dixit, *exercitatorum habitus, qui ad ſummum bonitatis attingunt*, ſignificauit maximã repletionè, quando ſubdit *periculoſus ſi in extremo conſiterit*, ſignificauit extremam, quãdo dixit, *neque compreſſiones ad extremum ducendæ periculoſum enim* ſignificauit minimã, quando denique ſubdit, *ſed qualis fuerit natura eius, qui perferre debet ad hoc ducere conuenit*, ſignificauit moderatam. Circa quæ nota admirandi ſenis artificium, qui

in

in his etiam voluit contemplari conferentia, & tollerantia, vel è contra, quod autem Hippocrates loquatur de repletione, quæ fit per inanitionem, ex eo colligitur, quod prope finem præcitati aphorismi dixit: *Et rursus refectiones cum extremæ fuerint periculosæ*; id inquam indicat aduerbium *rursus*. Verùm quandoquidem ad morbos ex inanitione prouenientes deuenimus, animaduertendum illos esse paucos admodum, sunt autem conuulsio, & singultus, de quibus magis expressam facit mentionẽ aphorismo 39. sextæ sectionis, adeout morbis ex inanitione prouenientibus, pauci admodũ fuerint dicati aphorismi, quapropter non absque ratione superius dictum est, Hippocratem ab vberrimo aphorismo ad euacuationẽ pertinẽte auspicari voluisse, quoniam

niam licet medicina ſit additio, & ablatio, maxima tamen pars eſt, quæ reſpicit ablationem; quoniam (vt dictum eſt) morbi ſecundum magnam partem fiunt ex repletione. Id tamen quæ diximus, ſano modo eſt intelligendum: intelligamus morbos factos ex inanitione ob vim morbi; non etenim ignoramus plurimos morbos per inanitionem aliquando induci ab ignaro medico, quotieſcunque intempeſtiuè adhibet validiſſima præſidia, quemadmodum videbimus ſuo loco, vbi etiam ex Hippocrate addiſcemus omnes eſſe vel lethales, vel ſaltem pernicioſas.

Proponit Analyſis morborũ ex inanitione prouenientiũ.

Quod ſi adhuc horum analyſim cupis, illam tibi dabo hunc in modum, ex inanitione progeniti affectus, qui indigent repletione, vel ſunt totius, vel partis. Si totius vel ob extenuationem

ad

ad extremũ ductam penuria alimenti, & copiosa sanguinis extractione ĩ habitu plethorico ab audaci medico, de qua aphor. 3. primæ sectionis. Vel facta purgatione valida in alio quolibet corpore, de qua aphor. 1. & 4. quintæ sectionis; vel ob ipsam morbi magnitudinem, de qua aphor. 7. & 28. secundæ sectionis, vel ob naturalem constitutionem, vt aphor. 44. eiusdem sectionis. Si est alicuius partis determinatæ hæc extenuatio secundum magnam partem fit, vel à vi morbi, vel à praua aliqua partium constitutione, à vi morbi, in capite, præcipuè cerebro, vt aphor. 3. secundæ sectionis, vel in ventriculo, de qua aphor. 4. & eiusdem 39. sextæ; vel in corde, aut superiore ore ventriculi, de qua aphor. 41. quartæ sectionis, vel in infimo ventre de qua aphor. 35. eiusdem. Vel

mu-

musculorum totius, vt aphoris. 39. sextæ, vel musculorum partis, oculorum, vt aphoris. 52. sextæ, labiorum, nasi, vel superciliorum, vt aphoris. 49. quartæ, vel aliarum partium, quemadmodum in progressu operis fiet manifestum. Quamuis autem dictum sit hos affectus ex inanitione prouenientes indigere repletione, id tamen ita proponitur, non vt medicus sanitatem sperare possit (sunt enim lethales) sed saltem vt suum præstet officium.

Huius nostri opusculi, vtilitas.

Interim percuntabitur aliquis quid nam emolumenti elici possit ex nostra hac adinuenta in aphorismis methodo resolutiua. Quid? vt scilicet vniuersam aphorismorum doctrinam ex hac methodo, simul cum nostra aphoristica explicatione facillimè paucorum dierum spacio possit

qui-

quilibet addiſcere, adeo vt dicere non erubeſcam, multo plus hinc poſſe quemlibet addiſcere vnica ſeptimana, quam ex pluribus commentarijs duorum, vel trium menſium ſpacio.

PRÆ-

PRÆLVDIVM, & Analyſis primę Sectionis.

PRoposita igitur medicinæ definitione, (vt demonſtrauimus) in primo aphor. in 2. proponit, vt diximus, analyſin euacuationis factæ per omnes totius corporis regiones; & quoniam inter illas factæ fuerat mentio de vaſorum inanitione, atque hæc fieri poſſit præſidijs ex triplici fonte deſumptis, quamuis aphoriſ. 3. in plethoricis non excludat pharmaciam, atque chirurgiam, loquitur tamen præcipuè de illa, quæ fit per dietam, cuius moderationem ibi deſcribit. Rurſus in victu conſideratur, vel quantitas, vel qualitas, vel tempus morbi, vel ætas, vel anni tem-

pus,

pus, in quo exhiberi debet, vel denique exhibendi modus. Quantitas consideratur in morbis longis, atque acutis ex decidentia aphor. 4. In sanis corporibus aphor. 5. In extremis aphor. 6. In peracutis aphor. 7. Morbi tempus, vel est universale, vel particulare; quomodo instituenda sit victus ratio in universali morbi tempore, explicatur aphoris. 8 9. & 10. Quomodo in particulari in morbis partium aphor. 11. febrium aphor. 11. & 12. Quomodo pro ætatum varietate aphor. 13. Anni temporum aphor. 15. & 18. Eius qualitas proponitur aphor. 16. Exhibendi modus seu partitio aphor. 17.

Verùm non satis est considerare tempora universalia, atque particularia, in quibus prædicta præsidia pharmaceutica, chirurgica, atque dietetica sint administranda; verum etiam considerandum

tum.

tempus, in quo ab illis est prorsus abstinendum, quando scilicet ipsa natura morborum medicatrix integrè operatur, quod proponitur aphoris. 20 *Quoniam aliquando operatur quidem, non tamen integrè, quo modo à medico sit adiuuanda demonstratur aphor.* 21.

Sed quemadmodum in perturbationibus ventris, atque vomitibus spontaneis magis excernuntur talia, qualia in primis regionibus reperiri consueuerunt, quam illa, quæ in venoso genere, quæ potius ab arte medicamento expurgantur, id propterea illius administrandi tempus indicatur aphor. 22; *eius autem, quantitas, quemadmodum & quantitas sanguinis missionis. aphor.* 23. *circa purgationem cautio propenitur aphorismo* 24. *Ratio, atque epilogus dictorum in vniuersa sectione, proponitur aphor. postremo.*

Vo-

Verum ne hinc addiſcas Hippocratem ſolam excretionum, & præſidiorum omnis generis analyſin effeciſſe, vlterius etenim progreſſus fuit, ſi quidem fecit in prædictis aphoriſmis partitionem morborum in longos, & acutos; acutorum in ſimpliciter acutos, atque ex decidentia, ſimpliciter acutorum in abſolutè tales, atque peracutos; facta fuit partitio morbõrũ in ſua tempora vniuerſalia, & particularia; Anni temporum; Aetatum; Operationum naturalium, in perfectas, & imperfectas; humorum in coctos, & crudos, in turgentes, & non turgentes. Deiectionis, atque ſanguinis euacuationis, in copioſiſſimas, atque minus copioſas, præter alias, quæ proponuntur in commentarijs.

Vlterius analyſis primę ſectionis demõſtratus.

D MA-

MAGNI HIPPOCRATIS

Coi Artis paruę,

Siue aphorismorum aphoristicè per ipsum Hippocratem explicatorum, auctore Georgio Morali

Sectionis I.

Aphorismus I.

Artis medicæ nobilitas, & prę stantia, atq; eius etiam maximæ difficultates.

QVamuis medicina sit omnium artium nobilissima, atque præstantissima, nihilominus *Est vita breuis, ars verò longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora.*

Apho-

Aphoris. II.

QVapropter, vt inter tot, quæ in illa occurrunt difficultates, saltem experimentum euadat minus periculosum, atque iudicium minus difficile, eniteudum vt pro viribus immitemur naturam, quando bene operatur, non autem quando malè, facta excretione per quamcũque corporis regionem: operationum verò tam ad bonum, quàm ad malum, hæc sunt summa, atque generalissima capita, atque illarum indagandi modus. *In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si talia purgẽtur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt; sin minus contra. Sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & leuiter tollerant; sin minus contra. Inspicere itaque oportet, & re-*

Experimẽtum vt fiat minus periculosum, atque iudiciu minus difficile, quam multa sint à medico consideranda.

gionem, & tẽpus, & ætatẽ, & mor bos, in quibus conueniant, aut non.

Aphor. III.

Exercitatorio exemplo demõstratur, quomodo habitus plethoricis sit euacuãdi, & quomodo rursus reficiendi, siue qua mensura fiant vasorum inanitio, & repletio in vniuersũ.

CVm autem vasorum inanitio, quam medicus moliri intendit, fiat præsidijs chirurgicis, pharmaceuticis, atque diæteticis; videndum, exercitatorum exemplo, quo modo, & qua mẽsura sit efficienda; & quoniam medicina non tantum est euacuatio eorum, quæ superfluunt, verum etiam additio eorum, quæ deficiunt; demonstrandum, quomodo prædicta corpora sint rursus reficienda, ad hoc vt in his operationibus sequatur conferentia, atque tollerantia. Sciendum igitur, quod *Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiesce-*

re.

re. Cum verò non quiescant, neque possint proficere in melius; reliquum igitur est, vt decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque euacuationes ad extremum ducendæ periculosum etenim. Sed qualia natura fuerit eius, qui debet perferre ad hæc ducere conuenit. Sic & euacuatio, quæ ad extremum deducunt, periculosæ, & rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.

Aphoris. IIII.

Quomodo generatim vasorum inanitio, in omnibus morbis, victus ratione sit efficienda.

CVm autem, vt dictum est vasorum inanitio fiat victus ratione, quæ in morbis adhibetur multa circa ipsam; sunt considerandæ, nimirum quantitas, qualitas, tempus, modus, atque alia, quæ in huius sectionis progressu demõstrabimus. Quod igi-

tur ad quãtitatem attinet. *Victus tenuis, & exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis grauis est, nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt graues sunt.*

Aphoris. V.

Cur victus tenuis non modo in morbis lõgis, verum etiam in acutis, in quibus nõ conuenit, sit periculosius.

RAtio verò propter quam in prædictis morbis, prædicta victus ratio sit periculosa; est quoniam. *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, vt magis lædantur. Quicumque enim error,* in sex rebus dictis non naturalibus, *committitur magnus, maior in hoc fit, quam in paulo pleniori victu: propterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus, & constitutus; quoniam* prædictos *errores grauius ferunt. Ob hoc igitur,* concludendum, quod

tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo qui sit paulo plenior, magis est periculosus.

Aphoris. V I.

QVamuis autem dictum sit, quod victus, qui ad extremũ deuenit tenuitatis grauis est, ne tamẽ hinc addiscas, quod nulli morbo possit conuenire, conuenit enim acutissimis morbis. Nã *Extremis morbis, extrema exquisite remedia optima sunt.*

Quibus morbis cõueniat victus tenuissimus, & consequenter extrema remedia.

Aphoris. V I I.

EX prædictis *igitur* colligitur quod; *Vbi morbus peracutus est statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu vtendum est*, est etenim occasio præceps. *Vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.*

Corrollarium ex antedictis aphorismis ad victus rationem pertinens colligitur.

Aphoris. VIII.

Cur in peracutis morbis vi-ctus sit tenuissimus instituendus.

VErũ cũ vnusquisq; morbus quatuor habeat vniuersalia tempora, nimirum principium, augmentum, vigorem, atque declinationem; atque dictum sit, quod ideo morbo peracuto conuenit victus tenuissimus, quoniã scilicet statim extremos labores habet. Hinc etiam inferendum quod. *Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc tenuissimo victu est vtendum*; plus enim labores in vigore contingunt, quam in reliquis morborũ temporibus.

Aphoris. IX.

Citius, vel tardius futurum vigorem videtur magis edictura, quã alia ratione vestigando.

ANimaduertendum autem iudicium quidem in cunctis esse (vt dictum est) difficile, omnium autem maximè in morbi vigore perscrutando, & præsentiendo, adeouit id doctissimus, atque

atque exercitatissimus tantum medicus assequi possit, id propterea *conjectari oportet an ager cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & numquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare: vel morbus ante deficiat, atque hebetescat.*

Aphoris. X.

ATque perinde, cum morbi pro maiori, vel minori acutie in vigore consistant citius, aut tardius, hæc est seruanda norma in victu instituendo. *Quibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus adhibendus est, quibus verò posterius debet consistere, his, & ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus, prius verò vberius agendum, quo ager satis esse possit;* frustra etenim laborat medicus ad propulsandum morbum

Vbi tamen prædicto artificio vigoris tempus assequuti fuerimus, quænam in victu instituendo sit seruanda norma, tũ in ipso vigore, tum ante ipsũ.

bum, nisi adsit tollerantia ad ipsius morbi vigorem tollerãdum.

Aphoris. XI.

In particularib. morborum tẽporibus, accessiones sunt in duplici differentia: & eur in illarum vnaquaque à cibo sit abstinẽdum.

SEd cum dictum sit, quod vniuersales omnes morbi sua quatuor habeãt vniuersalia tempora, sic etiam intelligendum, quod vnusquisque particularis morbus sua habet quatuor particularia tempora; sunt autem accessio, augmentum, status, atque declinatio. Atque quod ad primum attinet, sciendum, quod cũ accessiones adueniãt, vel absque circuitu, vel cum circuitu. *In accessionibus* absque circuitu *abstinere oportet, nam cibum dare nocuũ est*, atque proinde non modo exhibetur absque cõferentia; verum etiam cum detrimento, cũ tamen alibi dictũ sit, quod si non iuuas, saltem ne lædas. *Et quibus per circuitus fiunt accessiones;*

sunt

sunt autem morbi, quibus cum quodam ordine accidunt paroxismi, sunt autem febres, *in ipsa accessione abstinere oportet*, ob causam, quam proponemus aphors. 19.

Aphoris. XII.

QVoniam verò dictum est superius, ad victus formam instituendam, coniectari oportet, quando morbus sit longus, vel acutus; & si acutus, quando magis, vel minus acutus, hoc est, quando morbus citius, vel tardius ad suam consistentiam, seu vigorem sit peruenturus, quod est nihil aliud, quam morbi constitutionē dignoscere. & ēt dictū est, in accessionibus, tam quæ fiūt absque circuitu, quam illæ, quæ fiunt per circuitum, à cibo abstinendum esse, id propterea breuis methodus est instituenda, qua futu-

Quibus indicijs possimus dignoscere non modo accessiones vtriusque generis, verum etiam ipsorum morborum vniuersalium constitutiones, seu varias illorū species, & differētias.

futuras acceſsiones poſſumus prænoſcere, atque morborũ conſtitutiones poſsimus dimetiri, vnde etiam aliæ emergunt diuiſiones morborum in longos, & breues, boni, vel mali moris. Animaduertendum igitur, quod *acceſsiones*, ideſt deteriora periodorum tempora, tam in morbis particularibus, quàm in febribus; & in febribus, tam intermittentibus, quã in continuis. *Et conſtitutiones morbi*, hoc eſt an ſint morbi longi, vel acuti; & ſi acuti, vel ex decidentia, vel ſimpliciter dicti acuti, vel peracuti, *indicabũt, & anni tempora*, quemadmodum videbimus ſectione tertia. *Et circuituum ſucceſſiua incrementa*; quemadmodum præcipuè eſt videre in febribus, *ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue per maiora interualla* fiant; quod nihil aliud eſt, quam ideam morbi cognó-

gnoscere. *Sed & ex his quæ mox apparent indicia sumũtur, quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat; si verò postea appareat, producit*; quod nihil aliud est, quam considerare morbi motum. *Et vrinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcunque apparuerint, vel bonam morborum iudicationem, vel malam, vel breues, aut longos fore morbos ostendunt*. Quæscilicet demonstrant morborum tum morem, tum magnitudinem.

Aphoris. XIII.

Quomodo variæ victꝰ formæ sint instituẽdæ pro quatuor ætatũ differentijs

VErum quemadmodum superius dictum est, vnam, & eandem victus formam, non posse omnibus morbis conuenire; quoniã alium victum exposcunt morbi longi, alium acuti penes suas differentias; quemadmodũ

ibi

ibi dictum est; atque multum etiam varient victus formæ, pro varijs ætatũ differentijs; non enim vnus, & idem victus conuenit senibus, & pueris. Id enim propterea dictum est aphorismo secundo, in vasorum inanitione, non modo esse habendam rationem morborum, verum etiam ætatũ, & temporum; atque ætates diuiduntur in pueritiam, adolescentiam, consistentiã, & senectutem. Animaduertendum, quod *Senes facillimè ieiuni ferunt; secundo loco, qui ætatem habet consistentem; minus adolescentes; omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.*

Aphoris. XIV.

Cur & vasianda victus forma pro varijs ætatum dif

RAtio propter quã pueri omnium minimè ferunt inediam est, quoniam crescunt, & *Qui crescunt plurimum habẽt ca-*

lidi

lidi innati, plurimo igitur egent alimento; alioquin corpus absumitur, adeout tantum absit vt ieiunium illis possit cõferre, vt potius omnino nocuum sit. *Senibus verò parum calidi inati inest, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur*, adeout victus, qui exhibetur pueris cum conferentia, atque tollerantia; senibus exhibeatur contra. *Hanc etiam ob causam febres senibus: nam similiter acutæ fiunt; frigidum enim eorum corpus.*

ferentijs, & cur senes non corripiatur, vt iuuenes, febribus acutis.

Aphoris. XV.

IAm verò anni tempora, sunt consimiliter quatuor, prædictis ætatibus proportione respondentia; sunt autem ver, æstas, autumnus, atque hyems. quod præcipuè ad ver, atque hyemem attinet, sciendum est, quod *Ventres hyeme, & vere natura sunt ca-*

Ratio propter quam sint variæ victus formę instituendę pro varijs anni temporum differẽtijs, præcipuè hyemis atque veris,

ealidissimi, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda; etenim tunc calor innatus plurimus est; vnde, & pluribus egent alimentis; indicio sunt ætates, & Athletæ. Namque ad ætates quod attinet, id propterea, vt nuper dictum est, pueri copiosiore indigent alimẽto; quoniam scilicet plurimum habent calidi innati. Quod verò pertinet ad Athletas, id propterea dictum est aphorismo tertio, illorum habitus ad summum bonitatis attingere, quoniam ob somnos longissimos, moderatam exercitationem, atque reliquum vitæ studiũ, illorum calor innatus roboratur, adeo vt copiosioribus indigeant alimentis illi qui crescunt, consimilem ob causam.

Apho-

Aphoris. XVI.

SEd cum in præcedentibus demõſtrauerimus quomodo plures victus ſpecies inter ſe penes tenuitatem, atque craſſitiem differentes, varijs morbis, ætatibus, atque anni tẽporibus conuenire poſſint; atque præter dictas qualitates, ſint aliæ primæ communiter nuncupatæ, caliditas, frigiditas, humiditas, atque ſiccitas: de his etiam pronuntiandum eſt, quomodo aliquibus morbis, atq; ætatibus conuenire poſsint, atque proinde prætermiſſo victu calido, vel frigido, de quibus poſterius verba faciemus, in præſenti de victu humido ita verba faciemus, vt omnibus innoteſcat, quid de victu exſicante ſit pronũciandum. Dicimus igitur quod *Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verè*

Quibus morbis, ætatibus, & conſuetudinibus cõueniat victus humidus.

pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt. Dictum etenim est, *& alijs, qui tali victu vti consueuerunt*, quoniam si alij fuerint victui sicco maxime assueti, ij dum febricitant, illum suscipiant cum longe minori conferentia, quemadmodum ex subsequenti aphor. fiet manifestum.

Aphoris. XVII.

Pręter morborũ varias differẽtias, quæ insuper sint inspiciendæ in cuiuslibet victus partitione.

IN prædictis tamen victuũ speciebus adhibendis, est nõ modo conueniens quantitas, atque qualitas seruanda, sed insuper est considerandum *quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora; & particulatim oporteat offerre*, & quemadmodum nuper dicebamus, in quantitate assignãda, esse maximam habendam rationem ętatis, atque anni temporum; non secus in hac partitione dicimus, quod, *Condonandum ali-*

aliquid tempori, & regioni, atque ætati, & consuetudini. Est enim consuetudo altera natura. Iam verò peculiates cuiusq; naturæ maximam esse habendam rationem aphor. tertio animaduertimus.

Aphoris. XVIII.

Quomodo se habeant ventres ad cibos æstate, atq. autúno, hyéme, atque vere.

QVoniam verò nuper dictũ est, hyeme, atque vere copiosiora alimenta esse exhibenda; quoniam scilicet tunc exhibentur cum conferentia, atque tollerantia; non tamen inde omnino manifestum est, quomodo se habeant ventres in reliquis anni temporibus, & an vere prædicta copiosa alimenta ita quidem ferant, quemadmodum hyeme; id propterea sciendum, quod *Æstate, & autumno cibos difficillimè ferunt; hyeme facillimè, & quod secundum locum ver habet.*

Aphoris. XIX.

Cur illis qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare oporteat, ſed ſubtrahendũ ſit adiectioni ante vigorem.

QVoniam verò aphor. 11. dictum eſt, quod in acceſſionibus oportet abſtinere; quoniam cibum dare nocuum eſt: atque inſuper, quod quibus per circuitum fiunt acceſſiones in ipſa acceſſione abſtinere oportet; cuius ſententiæ rationẽ nullam ibi tradidimus, ſed illam ad hunc vſque aphoriſmum diſtulimus; quoniam ſcilicet illa ex antecedenti aphoriſmo colligi poteſt: ideo ſciendum, quod quemadmodum ventres æſtate, & autumno, cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè; ſecundum locum ver habet; non ſecus cum acceſſiones, quæ fiunt per circuitus reſpondeant æſtati, atque autumno; declinatio hyemi; paulo ante vigorem, reſpondeat veri; ita quidem exiſtimandum, quod

ventres in acceſſione difficillime ferunt cibos, in declinatione facillime, & quod paulo ante vigorem medio modo ſe habeant. Atque proinde. *His, qui per circuitus acceſſiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, ſed ſubtrahere adiectioni ante iudicationes*, hoc eſt ante vigores, in quibus iudicationes fieri conſueuerunt. Supple tu eſſe exhibendum cibū in declinatione, ſeu remiſſione, ſeu ante acceſſionem.

Aphoriſ. X X.

HIs ſic de ratione victus inſtitutis, tempus eſt, vt ad reliqua medica auxilia deueniamus; animaduertendum autem, quod quemadmodum multoties à cibo eſt abſtinendum; non ſecus multoties abſtinendum à reliquis operationibus; cum igitur in antecedenti dictum ſit, quod vbi par-

Cur tam in criſi quę eſt in fieri quā illia quæ eſt in facto eſſe, nihil ſit operandū.

ticulares instant iudicationes, ipsum etiam cibũ esse detrahendũs modo animaduertendum, quod in vniuersalibus morbis. *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre* cum omnimoda conferentia, & tollerantia, *neque mouere, neque nouare aliquid, seu medicamẽtis, seu aliter irritãdo, sed sinere oportet*. Eadem.n. est ratio totius, & partis.

Aphoris. XXI.

Quãdo natura mouet imperfecti, quomodo, & per quã regionem, fit a medico adiuuãda.

QVemadmodum, quæ decernuntur, & decreta sunt integræ; neq; mouere, neque nouare aliquid, seu medicamentis, seu aliter irritando, sed sinere oportet. Non secus, quando natura imperfecte operatur, adiuuanda, & proinde si non decernantur, vel decreta sint integre, aliquid potest mouere, vel nouare, seu medicamentis, seu

ali-

aliter; dummodo id non fiat per regiones non conferentes. Nam *Qua ducere oportet, quo maxime natura, vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit.*

Aphoris. XXII.

SEd cum dictū sit esse aliquod morbi tempus, in quo nihil est operandum; atque nuper dictum sit, quod aliquod est tempus, in quo aliqua ducere conuenit, dūmodo ducantur per regiones cōferentes; atque adhuc sit ambiguum, quid nam per prædictas regiones sit ducendum; id modo est explicandum. Animaduertendum igitur quod oportet. *Concocta medicari, & mouere non crūda, neque in principijs, modo non turgeant, plurima vero non turgent.*

Præter loca cōferētia, quam cōditionē requirat humor peccās adhuc vt à medico educi possit.

Aphor. XXIII.

Cur cõcocta sint medicanda & mouenda, non cruda neq; in principijs, & alia etiã ratio propter quam materia turgẽs moueri possit ẽt in principijs, & quando liceat euacuari vsque ad animi deliquium.

RAtio vero, propter quam, cõcocta sint medicanda, atque mouenda, non cruda neque in principijs, est quoniam. *Deiectiones non multitudine sunt æstimãda, sed si talia deïciantur qualia conueniunt, & ægri facile tollerãt.* Ratio etiam, ob quam etiam cruda si turgeant, expurgari possunt in principijs, est quoniam est materia qualitate admodum peccãs, atque ex illa expurgatione maius est emolumentum, quod consequitur, quam detrimentum; iam vero in prędicta materia turgente, *vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendũ si æger possit tollerare.*

Aphoris. XXIV.

Cur in acuturum passionũ prin-

SEd cum dictũ sit aphorismo. x. aliquos morbos acutos statim

tim ad consistentiam peruenire, atq; in ipsa consistentia fiant cõ-coctiones, & consequenter posse medicamenta expurgantia exhiberi etiam in illarum principijs: vide ne decipiaris; nam cum prędicti morbi ob prauam materiæ conditionem vehemẽtem passionem inferant ægrotanti; calor innatus distrahitur à concoctione, atque proinde. *In acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus vti oportet;* quoniam vero nuper monitum fuit, quod materia raro turget, modo vero dictum est, quod id raro est efficiendum; animaduertendum, quod quando id est efficiendum, *est cum præmeditatione faciendũ*, hoc est quod adsit materia turgens, & quod medicamentum sit materiei peccanti conueniens.

cipijs raro sint medicaméta purgantia adhibẽda; & qua cautione id sit faciendũ.

Apho-

Aphoris. XXV.

Cur materia surgens etiã in principijs morborũ euacuari possit.

RAtio est, quoniam prædicta materia turgens est, quę naturæ maximam infert molestiã, atque proinde potest congruente medicamẽto commode expurgari. Iam vero, vt ab initio dictũ est. *Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt. Si contra, difficulter.*

Finis primæ Sectionis.

PRAE-

PRÆLVDIVM, ac Analyſis ſecundę Sectionis.

QVm, vt in prima ſectione dictum eſt, medicina ſit ablatio, atque additio; atque aliquatenus demonſtratum ſit, quomodo fiat per pharmaciam, chirurgiam, atque dietam, tam in ægris corporibus, quã ſanis, atque, neutris; atque victus ratio conſiſtat in ſex rebus dictis, nõ naturalibus, nimirum cibo, & potu; ſomno, & vigilia; excretis, & retentis; motu, & quiete; aere, atque animi pathematibus; de prioribus quatuor loquitur in hac ſecunda ſectione; de aere in tertia, de animi paſſionibus in reliquis; facit autem vnius cuiuſque generis diuiſionem in ſuas ſpecies, per oppo-

Connexio & intentio ſecũdæ ſectionis cũ antecedenti.

Victus ratio cõſiſtit in ſex rebus non naturalib⁹: & de quibus agat in hac ſecũda ſectione.

oppositas differentias, demonstrãs similiter per signa diagnostica, atque prognostica, quomodo fiant cũ conferentia, & tollerantia, vel è contra, tam in sanis, quam aegris atque neutris. Interponit autem salutaria aliqua monita ad curationem pertinentia, vt scilicet predicta possint euadere predictis corporibus proficua. Est autem analysis huiusmodi. In somno consideratur, vel qualitas, vel quantitas, qualitas est vel laborem afferens; de qua aphorismo 1. vel iuuans, de qua aphorismo 2. Quantitas tam excedens, quam admodum deficiens in 3. aphorismo. In cibo, & potu consideratur, vel quantitas tam excedẽs, quam deficiens in vniuersum aphoris. 4. 11. 17. aut qualitas aphoris. 18. & 38. vel in conualescentibus, vt aphor 7. 8. 9. 31. 32. vel in aegrotantibus, vt aphor. 33. & 35. Motus,

In somno, & vigilia, cibo & potu, quomodo considerẽtur tum quantitas, tũ qualitas; motus, & quies considerantur in salubribus, & insalubribus, & neutris, idẽ de motu & quiete, excretis, & retentis.

tus, & quies, vel considerantur in neutris, vt aphoris. 5. & 6. vel in sanis, vt aphoris. 48. & 49. vel tam in sanis, quam ægris, & neutris vt aphorismo 16. Excreta denique, & retenta considerantur, vel in neutris, vt aphoris. 9. 10. & 12. vel in ægrotantibus circa statum morbi, vt aphoris. 13. & 14. aut in prĭcipio, vt aphor. 29. vel in sanis, vt aphor. 20. 36. 37. & 53. Quod verò ad paucos attinet aphorismos, de quibus nulla fuit facta mentio, fuerunt ab Hippocrate interiecti, vel ad declarationem, vel ad comprobationem, quemadmodum in explicatione fiet manifestum. Interim animaduertendum, quod quemadmodum senex in calce antecedentis sectionis confecit epilogum omnium, quæ dicta fuerant in vniuersa sectione, non secus prope finem huius sectionis, nempe apho.

Hippocratis artificiũ in sua accuratissima doctrina seruatum.

§ 1.

51. præceptum tradit ad emnes exceſſus vitandos, atque mediocritatem ſeruandam in cibo, & potu; ſomno, & vigilia; motu, & quiete; excretis, & retentis; atque reliquis duobus, de quibus deinceps verba faciet.

MA-

MAGNI HIPPOCRATIS

Coi Artis paruę,

Seu aphorismorum aphoristicè explicatorum à Georgio Morali Philosopho, ac Medico Veneto

Sectio. I I.

Aphorismus I.

CVm dictum sit aphorismo 2. 23. & postremo antecedentis sectionis, in quacunque excretione per quamcũque corporis regionem facta, humoris, tum qualitate, tum quantitate, exuperantis, cõsiderandum esse an fiat cùm conferẽtia, atque tollerantia, nec ne. Animadvertendum id etiam in reliquis rebus non

Connexio, & intentio præsentis, atque subsequentium aphorismorum cũ ailquibus propositis in prima sect. atque primum, somnus, qui letha lis, & qui

non lethalis; ex eorũ qualitatib⁹ declaratur.

nõ naturalibus esse inspiciendũ; sunt autem cibus, & potus; somnus, & vigilia; motus, & quies; aer, atque animi pathemata. Et quod primum ad somnum attinet, atque vigiliam; animaduertendum, quod quemadmodum in excretis, atque retentis considerabamus tum qualitatem, tũ quantitatem; non secus in somno, & vigilia, considerãda tum qualitas, tum quantitas. Quod primum ad somni qualitatem attinet, ille est pessimus, qui cũ mala fit tolerantia, & è contra; atque proinde. *In quo morbo somnus laborem facit mortale; si verò iuuat, non mortale.*

Aphoris. II.

Optimi sõni nota.

QVòd tamen præcipuè ad somnum iuuantem attinet eo magis eius æstimandũ iuuamentum, quo maius in quolibet

libet morbo fuit ſedatum ſympto ma. Quemadmodum ex. g. *Vbi ſomnus delirium ſedat bonum.*

Aphor. III.

QVod verò pertinet ad quantitatem ; quemadmodum aphor. 2. & 3. dictum eſt, tum in qualitate, tum in quantitate minuenda, poſſe nos non modo ab effectu, nimirum à viſa conferentia, & tollerantia; verum etiã à priori, hoc eſt per ſuas cauſſas, præſentire, an poſsit ſuccedere inanitio, vel repletio cum conferentia, & tollerantia, videndo ſcilicet, ne contingant extremi exceſſus; id etiam dicendum de ſomno, & vigilia, antequam malum, vel bonum conſequantur, ita *Somnus, atque vigilia vtraque ſi modum exceſſerint malum*. Atque proinde quando aphoriſ. 15. antecedentis ſectionis

Quomodo ex ſomni, & vigiliæ exceſſu, vel defectu, poſſimus affectus magnitudinẽ, atq; euẽtum dignoſcere, & præſagire.

dictum est, somnos longissimos, qui fiunt hyeme, & vere, facere ad copiosiorum alimentorum cō-coctionem; id intelligendum, dummodo non excedant naturæ modum,

Aphor. IIII.

Sōnū atq; vigiliā vtrumque si modū excesserit, esse malū explicatur ex excessuum, qui fiunt in reliquis sex rebus non naturalib., vt in satietate atque fame,

RAtio propter quam somnus, atque vigilia vtraque, si modum excesserint, est malum, est quoniam non fiunt secundū naturæ leges. diximus.n. libro de genitura, quod lege omnia fiunt; id autem melius assequemur, facta consideratione in reliquis sex rebus non naturalibus, vt in cibo, & potu, nam quemadmodum sectione antecedenti aphor. 3. & 4. dictum est, extremas repletiones esse periculosas, & rursus extremas inanitiones esse graues, sed mediocritatem vbique esse exoptandam, id etiam de cibo, & po-

tu pronunciãdum. ſ. *Non ſatietas, non fames, neque aliud quippiam* (vt ſitis, & potus nimius) *quod naturæ modum exceſſerit bonum*, bonum inquam quoniam, vbi hi non adfuerint exceſſus, raro etiã contingent prædicti exceſſus de ſomno, atq; vigilia, quemadmodum etenim fames, & ſitis conſueuerunt vigiliam inducere, nõ ſecus ſatietas, & crapula conſueuerunt ſomnos inducere copioſiores, & omnino morboſos.

Aphor. V.

VT autem melius innoteſcat, quod vno poſito inconuenienti in principio, multi ſequũtur in medio, atque fine, id etiam videre eſt in motu, & quiete. Nãque tam ſatietas, & fames, quam nimia ſitis, atq; crapula conſueuerunt inter reliquos pernicioſos affectus ſpontaneas inducere laſſitudines.

Quomodo prædicti exceſſus ſpõtaneas laſſitudines inducant.

ſitudines, quæ & ipſæ ſunt malę; nãq; *Spontaneæ laſſitudines morbos prænunciant.*

Aphor. VI.

Cur aliqui non perſẽtiat moleſtiam quæ puenit ab exceſſibus qui fiũt in prædictis ſex rebus nõ naturalibus.

VErum circa prædicta maxima eſt adhibenda cautio, aliqui etenim aliquando incidũt in maximum ſomnum, vel vigiliã, & nihilominus non animaduertunt ſe plurimum dormiſſe, vel vigilaſſe; alij etiam in ſatietatem, vel famem, & nihilominus illas non perſentiunt. Alij in moleſtiam totius corporis ex. g. in ſpontaneas laſſitudines, quas tamen non perſentiunt, quoniam mens aliò auocatur, atque proinde de his communis regula eſt tradenda, quod ſcilicet. *Quicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non ſentiunt, ijs mens ægrotat.*

Apho-

Aphor. VII.

QVoniam tamen aphor. 4. locuti fuimus de fame, cũ hæc magis, vel minus consueuerit extenuare corpora, prout scilicet, vel longo, vel breui tempore perduraverit. Animaduertendum erit, refectionem ijs non eodem temporis spatio efficiẽdam esse, sed hunc in modum. *Quæ lõgo tẽpore extenuantur corpora, lente reficere oportet, quæ vero breui, breuiter.*

Extenuatiõnem totius corporis duplici modo prouenire posse, & quomodo pro vniuscuiusque conditione fit refectio instituenda.

Aphor. VIII.

QVoniam vero contingit, tam longo, quam breui tempore extenuata corpora refici nõ posse, ideo animaduertendum, quod *Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimẽto corpus vti significatur. Quod si non assumenti cibũ hoc accidat,*

Quibus de caussis contingat, extenuata corpora cibũ assumentia, non refici, & præsidiũ vnicuiq; accõmodatum.

scire oportet, quod indiget euacuatione.

Aphor. VIIII.

Præparatio ante expurgationē necessaria.

QVod si contingat esse euacuandum corpus longo tempore extenuatum, cum vires supponantur aliquantisper confractæ; animaduertedum purgationem non esse temere efficiendam; sed hæc regula seruanda. *Corpora cum quispiã purgare voluerit, oportet fluida facere.*

Aphoris. X.

Cur etiam extenuata corpora ante refectionem indigeant expurgatione.

QVod si aliquis existimet hãc regulam esse duram admodum, quoniam, quæ extenuãtur corpora, quamuis indigeant expurgatione, cum tamen hanc expurgationẽ antecedere debeat eiusdem corporis fluxibilitas, in longum admodum protrahitur refectio, præterquam quod extenua-

nuatum corpus non ſolum lędi-
tur à prolongato alimento, verũ
etiam à medicamento purgante
exhibito. Nihilominus eſt ſentẽ-
tia veritatis inconcuſſæ, quod.
*Non pura corpora quanto plus nu-
tries, eo magis lades.*

Aphor. XI.

In difficultate aſſumẽdi cibũ, quod præſidiũ adhibendum.

QVod ſi ab expurgatione, vel alia qualibet cauſſa, contingat conualeſcẽtem cum difficultate cibum aſſumere; illi poterit potum exhibere. Namque.
Facilius eſt impleri à potu, quam à cibo.

Aphor. XII.

Cur corpora quæ ſanitatem iã fuerunt aſſequuta incidant in ecidiuam,

QVoniam tamen nuper dictũ eſt, quod impura corpora quo magis nutriuntur, eo magis lędũtur, vide, ne decipiaris exiſtimando prædictã lęſionem nullam eſſe aliam, quam prauã nu-

tritionem, est etenim alia longe maioris momenti, nam. *Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt.*

Aphor. XIII.

Quibus indicijs possimus iudicationem proxime venturam præuidere.

SEd cum de iudicatione mentio facta fuerit, non modo aphor. 20. antecedentis sectionis, verum ēt in antecedenti aphor., si velis aliquam notam per quam eam esse futuram possis prænoscere, illam sic accipe. *Quibuscunq; iudicatio fit, his nox grauis ante accessionē. Quæ vtro subsequitur magna ex parte leuior existit.*

Aphor. XIIII.

Crisis futura per effluxū quibus īdicijs dignoscatur.

SEd cum iudicatio fiat, vel per effluxum, vel per decubitum, si velis dignoscere quomodo harum vnaquæq; possit esse vel bona,

na, vel mala, cum crisiũ, quæ fiũt per effluuium admodum frequẽs sit illa, quæ fit per alui profluuiũ ralis bonæ vel malæ crisis notam sic suscipe. *In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.* Namque si mutatio fiat ad malũ. non iuuat.

Aphor. XV.

QVod si crisis per abscessum, tam bonæ, quam malæ notas exposcas, illas poteris ex hoc exemplo facile addiscere, vt præcipuè dignoscas an corpus sit impurum, nec ne; & consequenter an sit nutriendum, nec ne. *Vbi fauces egrotãt, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet; nam si biliosæ fuerint, corpus vna egrotat, si vero similes sanis, tutum est corpus nutrire.*

Crisis bonę per abscessum factæ indicia atque impuri corporis notæ.

Apho-

Aphor. XVI.

In quo casu impura corpora nõ sint expurganda, sed potius cibanda.

SSed cum aphorismo 4. dictum sit satietatem, atque famem, quoniam naturæ modum excedunt esse malas; id facile est videre primum in fame, nam licet, vt dictum sit aphor. 10. atque antecedenti impura corpora necessario esse expurganda, si contingat prædicta corpora famescere, sumus expurgationis auxilio destituti, namque. *Vbi fames laborandum non est*; atque proinde melius est modice cibare.

Aphor. XVII.

ITa. s. vt non incidat in satietatem, si quidem. *Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit. Ostendit autem sanatio.* Iam vero si huiusmodi satietas succedat fami est longe deterior; quoniam ea aphor. 3. pri-

mæ

mæ ſectionis extenuatiònes, quæ ad extremum deueniunt ſunt periculoſæ, & rurſus refectiones cũ extremæ fuerint periculoſæ.

Aphor. XVIII.

SEd cum aphoriſmo 16. admonitum ſit, fame dominante laborandum non eſſe, quoniam ſcilicet eius adæquatum præſidiũ eſt cibus; atque in antecedenti animaduerſum fuerit, hunc cibum non debere eſſe præter naturam, cum paucus ingeſtus ſit non ſedet famem, ſi vero plus, hic morbum faciat, quemadmodum indicat ſanatio, atque aphor. 2. dictum ſit extenuata corpora facilius impleri potu, quam cibo. Ne aliquis decipiatur exiſtimando hanc à potu repletionem poſſe etiam morbum facere, namque animaduertat quod alimẽtalis potus celertier nutrit, & *Eorum, qua*

Cur famescentes facilius nutriantur à potu quam à cibo; atq; vniuerſim & velociter nutrientis alimẽti iudicia.

vni-

uniuerſin, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones, atque proinde, ſi moderate aſſumatur, non facit morbum.

Aphor. XIX.

Cur acutorũ morborum non omnino sit certæ prænunciationes ſalutis aut mortis.

SEd cum morbi acuti, (de quibus, non ſemel in antecedenti ſect. fuit faſta mentio) ſecundum magnam partem progignantur ex ingeſtis cibis, ac potibus præter naturam, quæ celeriter nutriunt, atque proinde celeres habẽt excretiones; cum tales excretiones frequẽter admodum in prędictis contingant acutis morbis, animaduertendum, ne decipiamur, poſſe nos ex prædictis excretionibus facile futurum morbi euentum, omnino certum prænunciare, (eſt etenim in hoc etiã iudicium difficile,) atque proinde generalis eſt regula, quod *Acutorum morborũ non omnino sũt cer-*

certa prænunciationes aut salutis, aut mortis. Quoniam scilicet vt dictum est, fiũt ex materia mobili, & instabilia sunt, quæ in humidis consistunt, quare facile, & à natura, & à fortuna transmutari dictum est libello de decenti ornatu.

Aphoris. XX.

NOn tamen existimandũ hanc incertitudinem prouenire, vel ob artis defectum, vel ob artificis imperitiam; quãuis etenim id eueniat in morbis acutis, qui scilicet paucorum dierum spacio terminantur ob dictam materiæ instabilitatem, possumus tamen nos in sanitate fruẽtibus, per plurimos ante annos futurum euentum prænunciare, quemadmodũ ex. g. *Quibus iuuenibus aluus humecta est, ijs senescentibus exiccatur*;

Artis medicæ præstantia, & certitudo instabilib⁹, quæ nõ facile à natura, & fortuna trãsmutantur, sita est.

tur ; quibus vero iuuenibus aluus ſicca eſt , ijs ſeneſcentibus humectatur .

Aphoriſ. XXI.

Inter illa quæ cõfertim , & velociter nutriunt primatũ obtinet vinum præcipue ſenibus.

CVm etiam aphoriſmo 16. dictum ſit, fameſcentibus non eſſe laborandũ, ſed illos in quiete eſſe detinendos , cum tamen hoc non ſit famis auxilium , atque aphor. 18. dictum ſit potum, præcipue confeſtim & velociter nutrientem, eſſe adæquatum præſidium , quoniam celerẽ habet excretionem ; animaduertendũ huiuſmodi potum præcipue eſſe vinum , quoniam *Famem vini potio ſoluit* . Eo autem magis vtilior euadit, quod etiam ſenibus, quorũ aluus plurimũ exiccatur, ob prædictam cauſſam poſſit illorum aluum humectare .

Apho-

Aphor. XXII.

SEd cum aphor. 13. dictum sit, quod quibuscunque crisis fit, his nox grauis ante accessionem, quæ vero subsequitur magna ex parte leuior existit; atque 14. In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat, & 15. Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore excretiones inspicere oportet, quod si biliosæ fuerint vna corpus ægrotat; si vero similes sanis, tutum est corpus nutrire, & 16. Vbi fames laborandum non est, & 17. Vbi cibus præter naturã plus ingestus est, hic morbum facit, ostendit autẽ sanatio. Atque 18. Eorũ quæ vniuersim & velociter nutriũt, veloces quoque fiunt excretiones, & 19. Quibuscunq; iuuenibus adhuc aluus sicca est, his senescentibus humecta-

Prædictorũ omnium communis caussa; & consequenter generalis regula vbique seruãda proponitur.

ctatur, quibus vero iuuenibus adhuc aluus humecta est, his senescentibus exiccatur. Animaduertendum quod dictorum omnium vna est generalis, seu communis ratio; est vero quod, *vt morbos ex repletione curat euacuatio; sic eos qui ex euacuatione fiunt, repletio, & in cæteris contrarietas remedio est.*

Aphor. XXIII.

Quid de morbis acutis certo p̄dici possit; hoc est illorum terminus.

CVm etiam non modo in prima, verum etiam in præsenti sectione, plura de acutis morbis dicta sint, præcipue vero aphor. 19. quod illorum non sunt omnino certę prędictiones ad salutem, vel mortem; hic saltem animaduertendum, hoc certissimũ esse quod *Morbi acuti quatuordecim diebus iudicantur*:

Apho-

Aphoris. XXIV.

SEd quantũuis pręcitato aphorismo dictum sit, prædictiones non esse omnino certas, fient tamen magna ex parte certę in illis etiã acutis, qui quatuordecim diebus terminantur, si septenorũ quaterniones accuratè consideremus, facilius etenim assequemur quo se vertet morbus. Nãque *Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & undecimas contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus verò, & decimus septimus contemplabilis; ipse siquidem quartus est à quartodecimo; septimus verò ab undecimo.* Neque difficultatem faciat quod acutorum terminum posuerimus decimum septimum, quoniam quemadmodum est quartus à quartodecimo, atque septimus

Ad hoc vt acuti morbi euẽtum prædicere possimus, quæ sit seruanda regula, & cur in acutorũ terminus possit esse dies decimus septimus.

mus ab vndecimo; non secus potest appellari decimus quartus à die quarto, à quo multoties incipit acuties, quemadmodum colligi potest ex aphorismo 7. primæ sectionis.

Aphor. XXV.

Quæ nam sit causſa longitudinis, atque breuitatis morbi, quartanæ exẽplo demõstratur.

CVm verò aphor. 4. prioris sectionis facta fuerit mentio de morbis, tum longis, tum acutis, atque aphor. 23. huius Sectionis dictum sit, quod acuti morbi non excedũt decimam quartam diem; horum dictorum, nimirum de causſa longitudinis, atq; breuitatis videbatur reddenda ratio. Sciendum igitur, id prouenire ex tenuitate, vel crassitie, caliditate, vel frigiditate materiæ; quemadmodum quartanæ exemplo potest fieri manifestum. Namque. *Aestiua quartana magna ex parte*

te

te breues, autumnales lõgæ, & maxime quæ hyemem attingunt.

Aphor. XXVI.

QVamuis autem morbum, superueniri alteri morbo, videatur pernicioſum, nihilominus ſi quartana ſuperueniat conuulſioni, illam ſoluit; non tamen è contra euenit, atque proinde *Melius eſt febrem ſuperuenire conuulſioni, quàm conuulſionem febri.*

Quomodo morbũ alteri morbo ſuperueniri aliquando ſit bonũ eodem exẽplo declaratur.

Aphor. XXVII.

QVod ſi obijcias priorem antecedentis aphoriſmi ſententiam eſſe parum tutam: ſiquidem febrem conuulſioni ſuperuenire, eſt malo malum ſuperuenire, præcipuè cum febris ſit acuta; acuto etenim morbo acutum ſuperuenire eſt lethale; ſi verò nõ ſit acuta non poteſt morbus non

Duabus obiectionibus aduerſus prædictas ſententias propoſitis ſatisfit.

ingeminari. Et ſimiliter dicas aduerſus ſecundam eiuſdem aphoriſmi ſententiam non eſſe malum conuulſionem ſaperuenire febri; ſiquidem multoties contingit ſuperueniente conuulſione ipſi febri, ægrotantem melius habere. Poſtremæ obiectioni reſpondendum, quod *His qui non ex ratione leuius ſe habent non oportet fidere*. Priori verò obiectioni reſpondetur, quod ſimiliter. *Neque oportet multum formidare mala, quæ præter rationem eueniũt*. Ratio vtriuſque ſententiæ eſt: *quoniam plurima talia ſtabilia non ſunt, neque multum durare, & permanere conſueuerunt.*

Aphor. XXVIII.

Gloſſantur binæ ſẽtentiæ propoſitæ in aphoriſmo antecedẽti.

QVoniam verò in antecedenti aphoriſmo dictum eſt nõ eſſe multum formidanda mala, quę prçter rationẽ eueniũt, quo-

quoniã plurima talia ſtabilia non ſunt,neq; multum durare, & permanere conſueuerunt; animaduertas ne decipiaris, ſunt etenim aliqua,quæ multũ durare, & permanere conſueuere,quę videntur bona, & nihilominus ſunt mala; & rurſus alia etiam sũt mala,quæ non multum durare cõſueuerunt, quemadmodum ex.gr. *Febricitãtium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiã pluſquam ratio poſtulat contabeſcere, malum; illud enim morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem ſignificat.*

Aphor. XXIX.

CVm igitur febricitantium nõ omnino leuiter permanere corpus,ſignificat virium robur; & pluſquam ratio poſtulat contabeſcere, ſignificet imbecillitatem, hinc colligendũ eſt, quod *Quum mor-*

Ex aphoriſmo antecedenti elicitur indicatio curationis.

BIBLIOTECA ATENEO VENEZIA VENETO

morbi inchoant, si quid videtur mouendum mouet, cum verò consistunt: ac vigent, melius est quietem habere.

Aphor. XXX.

Cur, cum morbi inchoant, si quid videtur, mouendum; cum verò consistunt, melius sit quietem habere? cõsistentiæ, principij, & finis notæ proponuntur.

RAtio est euidentissima, quoniam *Circa initia, & fines omnia imbecilliora; quum verò consistunt fortiora*. Ex quo etiam colligere poteris, quod nam, & quousque sit intelligendum morbi principium, & quæ nam sit consistentia, seu vigor; quod ad prædictorum intelligentiam non parum conducit.

Aphor. XXXI.

Prauæ conualescentiç validum indicium.

VEtum cum aphor. 27. dictũ sit, esse malũ in ijs, qui omnino non leuiter febricitãt, pluſquam ratio postulat contabescere. Animaduertendum hanc etiã imbecillitatem, vel aliquod aliud

non

non leue vitium à morbo derelictum, posse contingere etiã conualescenti; siquidẽ *Eius, qui ex aegritudine bene cibatur; nihil proficere corpus malum.*

Aphor. XXXII.

Circa initia & fines omnia esse imbecilliora, esse semper verum in morbo, nõ semper in conualescentia.

QVoniam cum aphor. 30. dictum sit circa initia, & fines omnia esse imbecilliora, animaduertendum id quidẽ esse verissimum de principijs & finibus morborum, non autem de principijs, & finibus conualescentiæ, nam in his res opposito modo se habet, si quidem. *Omnes fere qui male se habent circa initia bene cibati, neque quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt: qui vero circa initia cibum valde non appetunt, postea valde appetentis, ij melius euadũt.*

Aphor. XXXIII.

Appetẽtia quãuis aliquando in conualeſcẽtia ſit mala; tamen in morbo quomodo ſemper ſit bona.

SEd cum in antecedenti dictum ſit, quod qui circa initia valde cibum non appetunt, poſtea valde appetentes, ij melius euadũt; non tamen hinc inferendum, appetentiã in morbis non eſſe malam; eſt etenim bona, quando cũ ratione eſt aſſociata, nam *In quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad oblata bonum, contrarium vero malum.*

Aphor. XXXIV.

In quouis morbo mẽte non cõſtare & male ſe habere ad oblatui, quomodo ſit magis vel minus periculoſum.

QVamuis autẽ dictum ſit eſſe malum mente non conſtare, & male ſe habere ad oblata; animaduertendum tamen, eſſe hæc mala minus horrẽda, ſi quis illorum aliquod, tempore valetudinis, pati conſueuerit; ſi quidem abſolutè loquendo. *In morbis minus periclitantur, quorum na-*

natura, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus; quam quibus ſecundum nullum iſtorum conuenit.

Aphoriſ. XXXV.

QVamuis autem dictum ſit aphor. 28. quod non omnino leuiter febricitãtiũ corpus nihil minui eſt malum; cum tamen aphor. 33. etiam dictum fuerit, quod in quouis morbo mente cõſtare, & bene ſe habere ad oblata ſit bonum, contrarium vero malum; cum bene ſe habere ad oblata, bonam ſignificet conſtitutionem partium omnium nutritioni inſeruientium; id propterea prædicta ita ſunt intelligenda, vt abſolute loquendo ſit aſſerendũ, quod *In quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes, craſſitudinem habere melius eſt, multum vero extenuari,*

Cur in quouis morbo bene ſe habere ad oblata ſit bonum contrariũ vero ſit malum, & quę corpora magis & quæ minus ſint aptæ purgationi.

&

& contabescere prauum; sed & hoc quoq; ad inferiores purgationes periculosum.

Aphor. XXXVI.

Quamuis partes ad vmbilicum & imũ vẽtrẽ attinentes sint ad infernos purgationis aptiores, quando crassitudinẽ habẽt, quam cum extenuatio nem fortiuntur; id tamen de male affectis intelligendum.

VErum etiam si in antecedẽti dictum sit in quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes multum extenuari, & contabescere esse prauum: inter reliqua quoniam hoc quoque ad inferiores purgationes est periculosum. Animaduertendum, non tamen hinc necessario inferendum, quod si prædictę partes crassitudinem habeant sũt semper ad infernas purgationes idoneæ, cum non verum sit nisi quando corpus est male affectũ, nam *Qui salubritatẽ corporis habent; cum per medicamenta purgãtur cito exoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo.*

Apho-

Aphor. XXXVII.

RAtio propter quã cito exoluantur eſt, quoniam cũ non adſint praui humores, nõ expurgantur talia qualia expurgari oportet, id etenim propterea. *Qui bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes.*

Cur quĩ ſa lubritatem corporis habent, cũ per medica menta pur gatur, cito exoluũtur.

Aphor. XXXVIII.

ANimaduerte tamen ne decipiaris, cum etenim dictum ſit aphor. 36. quod illis qui prauo vtuntur cibo, non ſunt exhibenda medicamenta purgantia, poſſes fortaſse hinc inferre prauum cibum facile permittĩ; id quod nõ eſt admittẽdum de omnino prauo, nihilominus *Parum deterior potus, & cibus, ſuauior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuauibus eſt præferendus.*

Quamuis etiam id ſit intelligendũ de omnino prauo cibo vtẽtibus; nõ tamen de paulo deteriori cibo & potu.

Apho-

Aphor. XXXIX.

Cum dictũ sit aphor. 34. quod minus periclitantur quorum ætate conuenit morbꝰ id senium exẽplo declaratur.

SEd cum aphorismo 34. dictum sit minus periclitari, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis cõgruit morbus; quam quibus secundum nullum istorum conuenit, atq; aphor. 35. 36. & 37. loquuti fuerimus de habitu, aphor. 38. sermonem habuerimus de natura, supereſt, vt aliqua de ætate pronũciemus. Sciẽdum igitur, quod, *Senes iuuenibus ægrotãt minus magna ex parte. Qui vero morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte concomitãtur ad mortem.*

Aphor. XXXX.

Cur in senibus morbi longi maxima ex parte concomitẽtur ad mortẽ.

RAtio est, quod morbi longi sanentur facta humorũ crassorum, & frigidorum concoctione; iam vero senibus parum inest calidi innati, vt aphor. 14. dictum est,

est, cuius signum est euidentissimum, quod etiam morbi leuissimi in ipsis non facilem admittãt curationem, namque ex. g. *Rauedines, & grauedines, in valde senibus, coctionẽ non admittunt*, atq; proinde multominus illã admittẽt alij morbi longe grauiores.

Aphor. XXXXI.

Proponitur exemplum morbi cito interficiẽtis, quando apprehendit cor.

SEd quemadmodum prædicti morbi, lente interficiunt, non sua natura, sed quoniam contingunt valde senibus; non secus alij sunt morbi, qui interficiunt, atque id quidem repente; quoniam non appræhẽdunt nares, aut fauces, sed cor, cuicunque ætati contingant, nempe ob suam maximam sæuitiem; primum exemplum, est de his, quorum interitus præcedit exolutio, est vero quod, *Qui frequenter, ac fortiter*

absq;

absque manifesta causa exolutionem, de repente moriuntur.

Aphor. XXXXII.

Aliud exẽplum morborum vel semper, vel multoties interficientiũ quando apprehendit cerebrum.

ALiud vero exemplum est de his vehementibus morbis, quos nulla præcedit exolutio, atque magis appræhendunt cerebrum quam cor; suntque in duplici differentia; quoniam, & hi inuadunt magis, vel minus fortiter, atque proinde mors est magis, vel minus ineuitabilis, quemadmodum. ex. g. *Soluere apoplexiam fortem impossibile, debilem vero non facile.*

Aphor. XXXXIII.

Aliud exẽplũ mortis repentinæ & norma ad dignoscendum quando fit ineuitabi.

EXolutionibus de quibus aphor. 41. atque apoplexijs de quibus in antecedenti, proxime accedunt alij pernicioſiſſimi affectus repentinã mortem inducentes, qui tamen in hoc magis

apo-

apoplexijs assimilantur, quod quemadmodum fortem soluere est impossibile, debilem vero non facile, non secus hi, qui tam ob internam caussam, quam ob externam strangulantur, atque dissoluuntur; aliqui referuntur, aliqui vero non; atque proinde de illis ita statuendum est. *Qui strãgulantur, ac dissoluuntur nõdum vero mortui sunt, non referuntur quibus spuma circa os fuerit.*

lis, & quãdo sit euitabilis.

Aphor. XXXXIV.

QVoniam etiam aphor. 34. dictum est aliquos magis, vel minus periclitari, quorũ scilicet habitui magis, vel minus conuenit morbus; id propterea modo animaduertendum est, quod tum exolutioni, tum apoplexiæ, tum strangulationi, quæ fit non sine dissolutione magis sunt propensi, qui valde sunt admo-

Ad maiorẽ aphor. 34. intelligentiam, declaratur qui habitus sĩt ad festinã mortem & qui ad tardioré magis propensi.

mo-

modum obesi, quam qui graciles; atque proinde de his est generalis sententia *Qui natura admodum crassi sunt, citius interount, quam qui graciles*, dictum autem est *natura*, vt excludantur Athletæ, namque vt superius dictã est, Athleta non est à natura.

Aphor. XXXXV.

Qui morbi propemodum incurabile; curationem admittere conuenerint, & quibus præsidijs.

QVamuis autem dictum sit, affectus, de quibus ab aphor. 41. vsque ad præsentem fuit facta mentio, ob suam vehementiam vix curationem admittere: animaduertendum tamen est, aliquos esse illis finitimos, qui aliquam possunt admittere curationem, si precipue iuxta aphor. 34. sint ætati congruentes, quemadmodum. ex. g. *Quicunqs iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporũ,*

&

& locorum, & victuum quoque liberantur.

Aphor. XXXXVI.

VErum cum aphorismo 22. dictum est curationem, fieri per contraria, animaduertendū id non esse ita intelligendum, vt non possit aliquo modo fieri per similia; namque quemadmodum morbus comitalis, de quo in antecedenti dictum est, extra accessionem potest curationē admittere per illas mutationes, quas ibi proposuimus, non secus in accessione potest magnum leuamen suscipere facta materiæ noxię ad caput irruentis retractione ad partes longinquas, idque præsidio in prædictis partibus longinquis maiorem molestiam inducente. Nam *Duobus doloribus simul nō eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.*

Morbus comitialis in accessione quomodo curationē admittat facta quodammodo per similia.

Aphor. XXXXVII.

Quando & quomodo dolor non possit esse congruens medicina doloris.

EXcipiendi tamen sunt dolores, qui fiunt in puris generatione, namque *Dum pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quam iam confecto*, atque proinde ægre admodum poterimus talem dolorẽ obscurare inducto in alia corporis parte alio maiore dolore, quod si id aliquo modo assequamur, naturã à sua operatione distrahemus.

Aphor. XXXXVIII.

Cur dum pus conficitur dolores & febres accidãt magis quam iam cõfecto, & cur spontanea lassitudo nõ auferatur quiete.

CAussa propter quam pure iã confecto dolores, & febres accidant minus, quam dum conficitur, est quoniam ad dolores, & febres, quæ fiunt in puris generatione, non potest nõ cõsequi in parte in qua fit, labor, iam vero *In omni corporis motu vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinẽ*

auf-

aufert. Hinc collige hanc laſſitudinem, id propterea differe ab illa de qua loquutum eſt aphor. 5. huius ſectionis, illa etenim nõ aufertur quiete, quoniam ſcilicet eſt ſpontanea.

Aphor. XXXXIX.

QVod ſi ſcire velis cur in omni corporis motu alij citius, alij tardius laborare cõſueuerint, & proinde alij citius, alij tardius quietem exoptent, animaduertas id prouenire ob vim conſuetudinis id, quod patet ex cõmuni hominum conſenſu, nam. *Qui conſueti ſunt ſolitos labores ferre, & ſi fuerint imbecilles, & ſenes, non conſuetis fortibus atque iuuenibus facilius ferunt*. Atque proinde non modo in quantitate, atque partitione cibi, & potus, eſt aliquid condonandum ætati, atque conſuetudini, vt dictum eſt

Cur in omni corporis motu alij citius, alij tardius quietem exoptent; ex quibus colligitur quo modo labores fiant cum conferentia, & tollerãtia.

aphor. 17. ſectionis antecedentis, verum etiam in quãtitate, & partitione motus, & quietis, quemadmodum ex præſenti colligitur, vt ſcilicet, & ipſi labores fiant cum conferentia, atque tolleran-
tia.

Aphor. L.

Cur illi qui cõſueti sũt ſolitos labores ferre, & ſi fuerĩt imbecilles & ſenes, fortibus atque iuuenibus faciliùs ferunt.

RAtio eſt quoniam. *Quæ ex longo tempore conſueta ſunt, etſi deteriora ſunt in ſuetis minus moleſtare ſolent. Oportet igitur ad inſueta permutari.* Quapropter quod diximus, dum de excretis verba fecimus, in profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat, id etiam de mutatione in reliquis ſex rebus non naturalibus eſt intelligendũ; addita cautione quod in omnibus mutatio à prauis ad bona paulatim fiat.

Apho-

Aphor. LI.

Permutatio ad infueta cur, & quomodo debeãt fieri non plurimum & repẽte, sed modici & paulatim, pluribus demõstratur.

NAm *Plurimum, atque repente euacuare, vel replere: vel calefacere, vel refrigerare; siue alio quouis modo corpus mouere, periculosum; omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit tutum est; cum alias, tum cum ab altero ad alterum mutatio fit.* Vnde elicitur cautio non leuis momenti ad illa omnia, quæ superius dicta sunt, tuta methodo administranda, quamuis etenim, qui natura admodum crassi sunt, arte possint graciles fieri, & graciles in crassari. Et quicunque iuuenes morbo comitiali laborant mutatione ętatis, & locorum, & victuum liberari: & in labore, qui fit in omni corporis motu, lassitudinẽ quiete statĩ aufferri: & in ijs, quæ

longo tempore consueta sunt, si deteriora existūt, oporteat ad insueta permutari, omnes tamen hæ mutationes ob prædictā causam sunt paulatim efficiendæ.

Aphor. LII.

Cur, & quo modo, nō sit efficienda permutatio ad alia præsidia, quando nō succedunt secundū rationem.

SEd cū nūper dictum sit, quod oportet ad insueta permutari. Animaduertendū, non id propterea esse temere præsidia permutanda, quotiescunq; videt medicus in pluribus hucusque commemoratis casibus, non quod prīmū exoptabat, statim succedere. Vel quia morbus coctionem nō admittat, vt raucedines, & grauedines in valde senibus. Vel ob malignam, atque occultam internā causſam, vt in ijs, qui frequenter, & fortiter exoluuntur. Vel ob ipsius morbi magnitudinem vt in apoplexia. Vel strangulatione, &

dis-

dissolutione. Vel ob habitum à natura contractum, vt in ijs, qui natura sunt admodum crassi, vel graciles. Vel ob morbi pertinaciam, vt in iuuenibus, qui laborant morbo comitiali. Vel denique ob aliam quamlibet huiusmodi caussam inciderit in alium quemlibet consimiliter perniciosum affectum. Est tamen medico sua seruanda grauitas, atque cõstantia; atque proinde. *Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio visum est.*

Aphor. LIII.

SEd cum dictum sit aphor. 45. quod quicunque morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberãtur; hinc fortasse inferes, quod

Quomodo & quatenus natura ætates beneficio conuenerit mutationes efficere in

melius explicatur exemplo rérũ non naturalium.

ipſamet natura conſueuerit mutationes efficere cum conferentia: atque proinde poſſe etiã medicum, qui eſt naturæ imitator ad aliam pertranſire, quando ſecundum rationem non ſuccedat. Verum animaduertas non omnes mutationes à natura factas eſſe ſemper vtiles, ſed illas tantũ, quæ fiunt ante ſenectutem, quod addiſcere poteris tũ in mutationibus, quæ fiunt in rebus non naturalibus quemadmodum. ex. g. *Quicunq; aluos humidas habent; ſi quidem iuuenes fuerint, melius degunt his, qui ſiccas habent. Ad ſenectã vero deterius degunt: nam ſeneſcẽtibus magna ex parte exiccantur.*

Aphor. LIIII.

Et exẽplo rerum naturalium.

TVm in ipſis etiam rebus naturalibus, quemadmodum

ex.

ex.g. Magnitudo corporis iuuenta quidem neque indecens, nec illiberalis. Senecta vero inutilis, & deterior parui-tate.

∴

Finis Secunda Sectionis.

PRAE-

PRÆLVDIVM,
ac Analysis tertię Sectionis.

Connexio tertiæ sectionis cũ antecedentibus.

VNum, vt dictum est in præludio præcedẽtis sectionis, Senex in prima sectione multa ad inanitionem, atque repletionem (quod idem est ac de excreta, & retenta) attinentia, resolutiua methodo pertractasset; atq; in eadem secunda sectione, alia plura consimiliter eadem methodo perlustrasset attinentia ad somnũ, & vigiliam, cibum, & potum, atque motum, & quietem. Reliquum erat, vt de reliquis rebus non naturalibus, sunt verò aer, & animi pathemata; eadem methodo pertractasset: quod igitur ad aerem attinet, prosequitur in hac tertia sectione de omnibus illius differẽtijs

tijs, tum secundum anni tempori, tum etiã secundum ventorum mutationes verba faceret, vt postmodum in reliquis sectionibus, de animi etiam pathematibus aliqua proponat, quemadmodum suo loco videbimus. Interim vt eius doctrina melius proposito ab initio ordini inhæreat; cum dixisset aphorismo secundo primæ sectionis, inspicere oportere, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non; quoniam, vt animaduertit aphor. 34. antecedentis sectionis minus periclitantur in morbis, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis cõgruit morbus, quam quibus secundum nullum istorum congruit. Necessarium videbatur, qui nam sint morbi varijs anni temporibus, atque varijs ætatibus conuenientes, cognoscere, quod in hac tertia sectione præstat à prædicto ordine ne

la-

Hippocratis scopus in tertia sectione.

latum quidem vnguem discedens; si quidem vt suum assequatur intentum, vbique aeris considerat resolutiones, secundum varias, quas sortitur mutationes, tum ob mutationes, quæ fiunt ab anni temporibus, tum etiam à variorum ventorum perflatione; atque postmodum vno, & eodem tempore aliam effecit resolutionem ætatum in omnes suas differentias; vt qui morbi illis vel congruant, vel non, melius innotescant. Quoniam verò sæpe dictũ est. Hippocratem in hoc opusculo vniuersam artem medicam complecti, animadutrtendum huius non exiguam partem complecti hãc tertiam aphorismorum sectionem; siquidẽ recenset omnes morbos tam internos, quàm externos humano corpori contingentes, quẽmodum videbimus. Quod si huius sectionis magis accuratam resolutionem exposcis; illam sic suscipe.

Cum

Cum dixerit aphor. 51. antecedentis sectionis, quod plurimum & repente calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum ob rationem ibi traditam; in hac tertia sectione id declarat exemplis desumptis à mutationibus, quæ fiunt, tum in temporibus, tum in ætatibus. Quod ad tempora; primum in vniuersum aphor. 1. deinde facta comparatione ad naturas aphor. 2. ad morbos, ætates, & loca aphoris. 3. deinde in temporibus inconstantibus, quando vna, & eadem die ipsa fiunt mutationes. Vel secundum ventum austrinum, & aquilonium, vt aphor. 5. Vel quando tempora suas non seruat constitutiones, vt aphor. 6. Vel quãdo annus magna ex parte fuerit aquilonius, aut siccus, vt aphor. 7. & 8. Vel mutationes fiunt secundum anni tempora, autumno aphor. 9. & 10. Vel temporibus sibi in-

inuicem succedentibus hyeme sicca, & aquilonia, vere pluuiosa, & australi aphor. 11. *vel è cõtra hyeme australi, & pluuiosa, vere autem sicco, & aquilonio; Vel æstate sicca, autumno pluuioso aphor.* 13. & 14. *Vel in uniuersum facta comparatione siccitatum ad imbres, vt aphor.* 15. 16 & 17. *Quod verò pertinet ad mutationes, quæ fiunt secundum anni tempora; morbi contingentes vere proponuntur aphor.* 20. *Æstini aphor.* 21. *Autumnales aphor* 22. *Hyemales* 23. *Quod tandẽ spectat ad mutationes, quæ fiunt penes ætates. Paruis, & nuper natis aphor.* 24. *In dentitione aphor.* 25. *Quum magis adolescunt apho.* 26. *Ad pubertatem accedentibus aphor.* 27. & 28. *Adolescentibus aphor.* 29. *Iuuenibus, atque in ætate consistentiæ aphor.* 30. *Senibus aphor.* 31. *Quamuis autem Hippocrates ipse analysin satis patentem*

con-

confecerit, illam tamen transcripsimus ne ab instituto recederemus. Quapropter cum iam ex hac tertia sectione ab Hippocr. indicatum sit, qui morbi sint temporibus, atque ætatibus conuenientes, atque aphorismo 34. secundæ sectionis dictum sit In morbis minus periclitari, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis cõgruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit. *Quarta, quinta, sexta, & septima sectione manifestum fiet, cur aliquæ euacuationes in aliquibus habitibus, ætatibus, naturis, ac temporibus fiant salutares, in alijs verò lethales.*

MAGNI HIPPOCRATIS

Coi Artis paruę,

Seu aphorismorum aphoristicè explicatorum à Georgio Morali Philosopho, ac Medico Veneto

Sectio III.

Aphorismus I.

Cur, & quo modo mutationes tẽporum fiãt potissimę morborum caussæ.

NOn satis est dixisse aphorismo 51. antecedentis sectionis, quod plurimum, atque repente calefacere, vel refrigerare, seu alio quouis modo corpus mouere, est periculosum; quoniam omne nimium est naturæ inimicum: sed quod paulatim fit tutum est, tum alias,

tum

tum cum ab altero ad alterũ tranſitus fit; atque id confirmaſſe exemplo mutationum, quæ in ætatibus contingunt, tum penes internarum partium conſtitutionẽ, vt aphor. 53. tum penes totius corporis habitum, vt aphor. 54. Sed neceſſarium erat demõſtrare quibus de cauſſis prædictæ fiant alterationes maiores, vel minores, quæ ſcilicet ſint naturę magis, vel minus inimicæ. Sciendum igitur, quod *Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos; & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.* Vnde roboratur quod ibi dictum eſt, quoniam, ſcilicet, cum in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, plurimum, atq; repente calefaciant, vel refrigerent, ſiue quouis alio modo cor-

VENETO
VENEZIA

pus moueant, consequens est, vt potissimum, pariant morbos, qui naturæ sint inimici.

Aphoris. II.

Cur naturarum, aliæ magis, aliæ minus afficiantur à magnis mutationibus, aut frigoris, aut caloris.

VErum animaduertendum, quod quemadmodũ, quando de excretis, & retentis loquuti fuimus aphoris. 3. primæ sectionis, diximus naturarum alias quidem magis, alias verò minus perferre maiorem, vel minorem extenuationem; non secus se habere de ijsdem facta collatione ad magnas aeris mutationes, aut frigoris, aut caloris. Namque *Naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem bene, vel male se habent.*

Aphoris. III.

Quemadmodum naturarũ hæ quidem ad æstatem hæ

QVemadmodum etiam dictũ est aphor. 2. eiusdem sectionis, quod ad hoc, vt dignoscamus,

an

an vasorũ inanitio succedere possit cum conferentia, atque tollerantia inspicere oportet,& regionem,& tempus,& ætatẽ, & morbos,in quibus conueniat,aut non; atque demonstratum sit aphoris. 4. quod quidam morbi, bene, vel male se habent ad quædam victus genera, quod etiam de ætatibus indicauimus aphor.16.& 17.Non secus hic in vniuersum colligendum,quod non modo naturæ,sed *Morbi quoque alij ad alia bene, vel male se habẽt,& quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera*.Quemadmodum in huius sectionis progressu demonstrabimus.

verò ad hyemẽ bene,vel male se habẽt, idem etiã de morbis atque ætatibus asserendum.

Aphoris. IIII.

QVamuis autem dictum sit, quod naturarum hæ quidẽ ad æstatem,illæ verò ad hyemem bene, vel male se habent. Et quod

Cautio ad prędictorũ intelligentiam;& quomodo

in quolibet anni tempore vigere posſit conſtitutio autumnalis.

morbi quoque alij ad alia bene, vel male ſe habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera. Id tamen eſt intelligendum cum cautione, quod ſcilicet in prædictis temporibus, nempe æſtate, & hyeme nõ contingat autumnalis conſtitutio; namque *In temporibus quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.*

Aphor. V.

Conſtitutio auſtrina, & aquilonaris quos nam pariãt morbos, & ſymptomata.

SEd cum dictum ſit aphoriſ. 1. quod non ſolum mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos, verum etiam in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, demonſtrandum eſt, quę nam ſint cauſſæ prædictas magnas mutationes in ipſis temporibus efficiẽtes; ſunt autem venti, de quibus declarandum eſt quos nam pariãt

mor-

morbos, atque symptomata. Primum quidem igitur occurrunt constitutio austrina, atque aquilonia. Quod ad primum attinet, sunt *Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes; quando huiusmodi tempestas praualuerit, talia in morbis patiuntur. At si aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui durę, difficultates urinę, horrores, costarum dolores, & pectoris; quando hęc tempestas praualuerit, talia in morbis expectare oportet.*

Aphoris. V I.

VErum, quum aphorismo 4. dictum sit, quolibet anni tempore vigere posse constitutionem autumnalem, in qua prouidè sunt autumnales morbi expectandi; id etiam de alijs anni constitutionibus est pronunciandum, quemadmodum ex. gr. quod in æstate

Æstas veri similis, quo modo habeat analogiam ad austrinā constitutionē, & quę symptomata inde proueniant.

prævaleat constitutio vernalis, quæ cum austrina aliquam habet affinitatem, atque proinde *Quando æstas fit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.*

Aphor. VII.

Aeris constitutio sicca, quos præcipuè morbos parere consueuerit.

VErum quemadmodũ in constitutione calida, & humida, sudores in febribus multos expectare oportet, non secus si cum caliditate fuerit associata siccitas, longe aliter contingit si quidem *In siccitatibus febres acutæ fiunt; & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales magna ex parte morbos oportet expectare.*

Aphor. VIII.

In quibus temporum cõstitutionibus morbi fiant boni, vel mali iudicij.

QVod si scire velis, an dicti hucusque morbi fieri possint boni, vel mali iudicij, obseruandum est, an temporis constitutio

sit

sit constans, vel non. Namque absolutè loquendo *In constantibus temporibus, quum tempestiuè tempestiua reddantur, morbi constantes, & boni iudicij fiunt; in inconstantibus autem inconstantes, & mali iudicij.*

Aphor. IX.

SEd cum dictum sit aphoris. 4. quod in constitutione autumnali, quocumque anni tempore cõtingat, autumnales morbos expectare oportet, atque aphor. 6. quod in constitutione vernali nõ tales morbi conspiciuntur, sed febres, quibus superueniunt sudores copiosi, horum aliqua ratio videtur proponenda, qua etiã melius innotescat, cuius constitutionis sunt morbi, qui autumno, & cuius conditionis, qui vere contingunt. Sciendum igitur, quod *Autumno morbi acutissimi, atque*

Autumnales morbi atque vernales, quasnam formãtur conditiones.

exitiales, maxima ex parte; ver autem ſaluberrimum, & minime exitiale.

Aphoriſ. X.

Autumnus quibus præcipue morbis, atque habitibus ſit pernicioſus.

CVm autem aphoriſ. 3. dictum ſit, quod morbi alij ad alia tempora bene, vel male ſe habente; atque aphoriſmo antecedenti dictum ſit, quod autumnus ſua natura eſt pernicioſus, eo quod in eo progignitur morbi acutiſſimi, atque exitiales maxima ex parte: modo vero animaduertendum, quod etiam eſt pernicioſus quando aliquibus morbis longis ſuperuenit, quemadmodum præcipuè emaciatis, ſeu conſumptis corporibus. Nam *Autumnus tabidis malus*. Per tabidos verò nõ modo illos intelligimus, qui tales actu exiſtunt, verum etiam, qui ad tabem ſunt propenſi, quemadmodum videbimus aphor. 13.

Apho-

Aphoris. XI.

CAussa propter quam autumnus, est tabidis malus est, quoniam adinuenit eorum corpus à præcedenti anni tẽpore male disposítum, quemadmodũ potest manifestissimo exemplo declarari. Nam *De temporibus siquidem hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum, & australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines, & intestinorum difficultates, præcipuè verò mulieribus, & viris, qui natura sunt humidiores.*

Cur autum nº sit tabidis maius, atq; hyemi siccę, & aquiloniæ, ver succedens pluuiosum & australe, quos nam pariat morbos, & symptomata.

Aphoris. XII.

QVod si prædicta anni tèmpora contrario modo se habeant, parum admodum ab illis differentes morbi cõtingent; nam *Si hyems australis, & pluuiosa, & serena fuerit, ver autem siccum,*

Ver siccum & aquilonium succedens hyemi australi, pluuioso, & sereno, quos nam pariat

morbos, & symptomata.

cum, & aquilonium mulieres, quibus partus ad ver ineſt ex quacũque occaſione abortiunt, quacumque verò parient, imbecillès, & morbidos infantes pariunt, quare vel ſtatim intereunt; vel tenues, & valetudinarij viuunt. Cæteris verò mortalibus difficultates inteſtinorum, & lippitudines ſiccæ fiẽt. Senioribus autem deſtillationes, quæ cito interiment.

Aphor. XIII.

Autumnus pluuioſus, & auſtralis, ſuccedens æſtati ſiccæ, & aquiloniæ, quos pariat morbos.

SEd cũ in præcedentibus aphoriſmis, de hyeme, ac vere ſermonem facientes dixerimus, illis poſſe contingere varias, atque; vario etiam modo ſibi ſuccedentes conſtitutiones; id etiam de æſtate, atque autumno videtur dicendum. Namque quod ad æſtatem attinet. *Si æſtas ſiccæ fuerit, & aquilonia; autumnus verò pluuioſus, & auſtralis, dolores capitis ad hye-*

hyemem fiunt, & tusses, rauceditines, atque grauedines, quibusdam autem & tabes.

Aphor. XIV.

SI verò autumnus fuerit *aquilonius, & siccus, his qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet; reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines, nonnullis verò, & atræ biles.*

Autumnus aquilonius & siccus, quibus sit bonus, & quibus mà lus.

Aphoris. XV.

SEd cum in præcedentibus loquuti fuerimus, de constitutionibus humidis, ac siccis, tam illis, quæ proueniunt à ventis, quam illis, quæ proueniũt ab ipsis anni temporibus; atque varios morbos, atque symptomata inde prouenientia fuerint proposita. Ex dictis facile est corrollarium inferre, quod *Ex anni constitutionibus*

Corrollarium ex ante dictis infertur; facta siccitatum ad imbres, collatione.

bus in vniuersum siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortifera.

Aphor. XVI.

Conferuntur morbi ex imbribus prouenientes, cũ illis, qui proueniũt ex siccitatibus.

ID quod facilius assequemur, si adinuicem comparemus morbos, qui in dictarum vnaquaque constitutione contingere consueuerunt. Etenim *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte febres longæ, aluiprofluuia, putredines, morbi comitiales, & apoplexiæ, & anginæ. In siccitatibus autem tabitudines, & lippitudines, articulorum morbi, stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum.*

Aphor. XVII.

Comparantur affectus prouenientes ex constitutionibus aquilonijs, eũ illis

ID quod etiam facilius est colligere ex constitutionibus aquilonijs, atque austrinis, de quibus aphoris. 5. dictum est, reperiemus etenim aquiloniam austrina esse

esse salubriorem,& minus mortiferam. Nam *Quotidianæ constitutiones, aquilonię quidem corpora dẽsant,& bene firma,& bene mobilia,coloratiora, & melius audientia faciunt, & aluos exsicant,oculos mordent, & si pectus dolor aliquis prius obsederit,dolores augẽt. Austrinæ dissoluunt corpora,& humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem morum præstant, & aluos humectant.*

quæ proueniũt ex austrinis.

Aphoris. XVIII.

SEd cum aphorismo 3. positum sit,quod morbi alij ad alia bene,vel male se habent,& quędam ætates ad tempora, & loca, & victus genera, atque hucusque satis demonstratum sit, quomodo morbi ad varias temporum constitutiones bene, vel male se habeant,

Quæ ætates melius degant vere, & prima ætate.

beant, ſupereſt vt modo id de reliquis declaremus, facta primum collatione quarũdam ætatum ad anni tempora. Sciendum igitur, quod *Per anni tempora vere quidem, & prima ætate pueri, & quibos ſequũtur ætate, optime degunt, & ſani ſunt maxime. Aeſtate verò, & autumno vſque ad aliquid ſenes: reliquum & hyeme, qui media ætatem habent.*

Aphor. XIX.

Cautio pro illo quod dictum eſt aphoriſ. 9. ver quidẽ eſſe ſaluberrimum, & minime exitiale.

His ita conſtitutis, iam explicandum occurrit, qui morbi in ſingulo quoque anni tempore fieri conſueuerint. Verum antequam ad hæc ipſa deueniamus, animaduertendum eſt, quod etiam ſi dictum ſit aphoriſ. 9. ver eſſe ſaluberrimum, & minime exitiale, id tamen non eſt ita intelligendum, vt vere non progignãtur morbi. Namque *Morbi omnes qui-*

quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibusdam ipsorũ, & fiunt, & excitantur.

Aphor. XX.

QVod autem aliqui morbi in aliquibus anni tẽporib. magis fiant, & excitentur, id primum in vere manifeste est videre. *Vere etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis & anginæ, & grauedines, & rancedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, & vitiligines & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi.*

Qui morbi præcipue vere fiant, & excitentur.

Aphor. XXI.

SEd cum æstas connectatur veri, hinc est, quod *Aestate nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianę febres plurimæ, & quartanę, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines, & an-*

Morbi æstiui recensentur.

aurium dolores, & oris vlcerationes, & genitalium putredines, & sudamina.

Aphor. XXII.

Autumnales qui.

CVm similiter autumni principium aliqualem retineat æstatis naturam, nil mirum si *Autumno, & multi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, & aquæ inter cutẽ, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & coxẽdicum dolores, & anginæ, & crebri anhelitus, volumuli, morbi comitiales, furores, atræ biles.*

Aphor. XXIII.

Hyemales.

HYeme verò *morbi laterales, & pulmonis inflãmationes, grauedines, atq; raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores, vertigines, & apoplexiæ.*

Apho-

Aphoris. XXIV.

VErum cum quatuor præcipue hominis ætates, prædictis quatuor anni tẽporibus proportione respondeant; atque satis dictum sit, qui morbo singulo quoque anni tempore sint magis familiares, supereſt, vt de morbis cuilibet ętati contingentibus verba faciamus, eodem prorsus ordine; atque proinde à pueritia, quę cum vere magnam habet analogiam exordium desumentes, dicimus quod *Talia cõtingunt paruis, & nuper natis puerulis. serpẽtia oris vlcera, vomitus, tusses, vigilię, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.*

Aetatum analogia ad anni tẽporum, atque primũ qui morbi contingant paruis, & nuper natis puerulis.

Aphor. XXV.

IN *progressu verò quũ iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui*

Morbi puerorum dentiri incipiẽtium.

profluuia, & maxime, qui caninos edunt dentes; & his præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

Aphor. XXVI.

Post dentitionem.

QVum verò iam magis adoleuerint, tonsillæ, & vertebræ, quæ ad occipitium est, interiorem in partem impulsiones, crebri anhelitus, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ, satyriæ, stranguriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipue ante dicta.

Aphor. XXVII.

Grandiorũ atque in accedentium ad pubertatem.

GRandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia sanguinis.

Apho.

Aphor. XXVIII.

ANtequã verò vlterius progrediamur, animaduertendum, quod *Plurima passiones puerulis iudicantur, nonnulla quidem quadraginta diebus, nonnulla in septẽ mensibus, nonnulla verò in annis septem; quædam verò iam ad pubem accedentibus. Quæ verò permanserint, nec in pubertate finierint puerulis, aut fœminis quum menstrua erumpunt, consceneſcere consueuerunt.*

Quibus temporibus terminentur morbi pueris ante, pubertatem; atq; admonitio de his qui nõ terminantur in ipsa pubertate.

Aphor. XXIX.

ADolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutę, morbus comitialis, & alij, sed præcipue antedicti.

Adolescentium morbi.

Aphor. XXX.

VLtra hanc ætatem crebri anhelitus, morbi laterales, pul-

Iuuenum, atque ætatis cõsistentis.

monis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardores, diuturna profluuia, cholerae, difficultates intestinorum, hæmorrhoides.

Aphor. XXXI.

Atque tandem senũ.

SEnibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, vrinæ stillicidia, vrinæ difficultates, articulorũ dolores, renum passiones, vertigines, apoplexię, mali habitus, pruritus totius corporis, vigilię, alui, oculorum, & narium humiditates, visus obnoxius, glaucedines, auditus graues.

Finis Tertiæ Sectionis.

PRAE-

PRÆLVDIVM, ac Analysis quartę Sectionis.

Connexio. & intentio quartæ sectionis cū præcedentibus.

CVm, *vt dictum est superius, Hippocrates aphorismo 2. primæ sectionis generatim proposuerit omnes euacuationum species, quæ sponte per quancunque fieri possunt corporis regionem cum conferentia, atque tollerantia, vel è contra; atque animaduertit ad hoc vt naturam bene operantem facilius imitari possimus, inspicere oportere, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non; atque tum in ipsa prima sectione, tum in secunda, plures modos proposuerit, quibus vasorum inanitio, & repletio fieri possit cum conferentia, atque tollerantia, per*

dicta tria artis instrumenta, nimirum dietetica, chirurgica, & pharmaceutica: atque antecedenti sectione propositis varijs temporum constitutionibus, tum secundum mutationes, quæ fiunt à ventorum differentijs, tum illas, quæ fiunt ob ipsa anni tempora, demonstrauerit, quinam sint morbi ipsis magis congruentes, atque postmodum propositis ipsis etiam ætatum differentijs, summatim percurrerit omnes morbos, atque symptomata, quæ ipsis ætatibus sunt magis congruentia. In præsenti sectione considerat varias curationes, atque curationum modos, sumpta scilicet indicatione à varietate temporum anni, naturarum, atque morborum; proposita namque generali sententia, quod in medicationibus talia educere è corpore, qualia sponte prodeuntia vtile, quæ vtro contrario modo prodeunt cohibere opor-

oportet; quoniam scilicet si qualia oportet purgari purgentur, confert, & leuiter ferunt, contraria vero grauiter, id ipsum prosequitur indicare per hanc ipsam vniuersam quartam sectionem. Demonstrat etenim quo anni tempore, in quibus naturis, morbis, atque habitibus magis sit efficienda expurgatio per inferiora, & in quibus per superiora, hoc est, vel per vomitoria, vel per medicamenta, quæ expurgant per secessum. Deinde vero deuenit ad varias vasorum inanitiones, nimirum per sanguinis, variæ conditionis, excretiones, per varias corporis regiones, per vrinarũ plurimas differentias, sudores, rigores, abscessus cuiuscunque generis, flatus per infernam sedem; ad varias etiam deuenit transfusiones, exceptiones, transpositiones, seu metastates, quibus omnibus fit vasorũ inanitio, quo-

modo ſcilicet fiant cum conferen-tia, atque tollerãtia, vel è contra. Declarat etiam quod cœperat indicare prima, atque ſecunda ſectione, quomodo expurgatio taliũ qualium; ad hoc vt fiat cum conferentia, atque tollerantia, fieri debeat conſtantibus viribus cum humorum concoctione in die iudicatoria, & quomodo ad peccantem qualitatẽ referatur precipue materia turgens. Quinimo demõſtrat quomodo idem, & vnus morbus poſſit ſolui per varias excretiones factas, per varias corporis regiones, atque alia huius modi: quemadmodum, quando inquit. Quibus illia ſupenſa murmurant, hĩborum dolore ſuperueniente, his alui humectantur, niſi flatus erũpant, aut vrinæ multitudo proueniat; hæc vero in febribus. *Et rurſus alio aphoriſmo.* Quibus ſperatur abſceſſum futurũ ad articu-

ticulos, liberat ab abſceſſu vrina multa, craſſa, & alba facta, qualis in laſſitudinarijs febribus quarto die incipit fieri. Si vero ēt ex naribus fluxerit ſanguis, breui admodum ſolutio fit. *Verum quod præcipue attinet ad analyſin, illam nos hunc in modum conficimus Cum aliquando contingat in vtero gerentibus peccare materiã turgentem; ad hoc vt educatur cũ conferentia, atque tollerantia demonſtrat aphor. 1. quibus vtero gerentiæ menſibus ſit pharmaco expurganda, cuius rationem, proponit aphor. 2. & 3. Quoniam vero educi poteſt per vomitum, vel per ſeceſſum; demonſtrat aphor. 4. quo anni tempore ſit educenda per ſuperiora, & quo per inferiora, propoſita hac de re cautione aphor. 5. Quoniã vero in qualibet euacuatione, ad hoc, vt fiat cum conferentia, atque tollerantia, debet eſſe*

Admirandum Hip. artificium in aphoriſtica doctrina ordine reſolutiuo proſequenda.

con-

conueniens habitui, atque natu-
rę, id demonstrat de gracilibus: &
facile vomentibus aphor. 6. De vo-
mentibus difficulter, & mediocri-
ter carnosis aphor. 7. de prauis ha-
bitibus aphor. 8. Quoniã vero na-
turarum, atque habituũ aliæ ma-
gis ad melancholicum, aliæ vero
magis vergunt ad hilarem: id pro-
pterea & aphor. 9. regulam tradit de
melancholicis, vt de hilaribus cõ-
trarium innotescat. Quoniam vero
dictum fuerat aphor. 10. 12. primæ
sectionis, materiam turgẽtem posse
euacuari in principio morbi, atque
alicuius morbi etiam acuti prin-
cipium suam habeat latitudinem,
atque proinde videatur expurgã-
da prima, secunda, vel tertia die,
id determinat aphor. 10. Aphoris-
mo tamen 11. declarat aliquos es-
se inferioris vẽtris morbos, in qui-
bus nulla ex prædictis euacuatio-
nibus conuenienter administra-

tur

tur cum conferentia, aut tolleran-
tia. Quoniam etiam alijs morbis
conuenit euacuatio magis per su-
periora, alijs vero magis per infe-
riora, exemplum proponit aphor.
12. Quoniam tamen in aliquibus
naturis possent reliqua ad eua-
cuationem per superiora conspira-
re, dissentire tamen facilitatem
id propterea aphor. 13. 14. & 15.
proponit auxilia ad vomitum fa-
cillitandum Excipit tamen aphor.
16. aliquos habitus, qui cuilibet
expurgationi sunt inepti. Quod ve-
ro ad morbos attinet, sunt qui ex-
poscunt expurgationem per supe-
riora aphor. 17. & 18. An vero pur
gatio facta fuerit sufficiens, vel
non aphor. 19. Quibus autem con-
ueniant per inferiora aphor. 20.
Quoniam vero dictum fuerat a-
phor. 11. quod In medicationibus
talia educere è corpore, qualia
& sponte prodeuntia vtile, ne exi-

sti-

ſtimemus quod vbi aliquid ſponte eggreditur abſque vtilitate ; eſſe à medicamentis abſtinendum, regulam tradit aphor. 21. Quibus autem morbis contingant ventris perturbationes cũ cõferentia, atq; tollerantia, indicat aphor. 28. 47. 60. 73. Quod vero ſpectat ad vaſorum inanitiones, illæ ſunt, vel ſanguinis atrabiliarij per ſuperiora, vel inferiora ad perniciẽ apho. 22. vel ẽt ſolummodo, per inferiora in extenuatis, ex morbis acutis, aut diuturnis, vel alio quolibet modo ſimiliter ad perniciem aphoriſ. 23. ſi in difficultate inteſtinorum lethale 24. ſi caruncula in difficultate inteſtinorum exeant lethale 26. Sanguinis non atrabiliarij, ſed copioſi ad malum aphor. 27. Quod verò ſpectat ad vaſorum inanitiones per abſceſſus, vel decubitus, ſiũt vel ad articulos cum conferentia, atque tollerantia aphoriſ. 31

32.

32.33. & 43. vel ad faucium partem internam absque vllo tumore apparentem, ad mortem aphor. 34. Per sudores bonos, vel malos pro dierum conditione. quibus superueniunt aphor. 36. Pro qualitate sudoris, atque morbi natura ad malum aphoris. 37. & 42. per corporis partem non bonam 38. & 39. Pro eius copia ad malum aphor. 41 & 42. & 66. Fit etiam vasorum inanitio per vigorem in febribus die non iudicatorio absque conferentia, & tollerantia aphor. 29. In febre ardenti in die iudicatorio morbi solutio aphor. 58. Quod si incidat febre non deficiente agro iam debili, lathale est aphor. 46. quod si fiat in febribus quotidie, fit cum conferentia, & tollerantia. Et vasorum inanitio per lachrymas, vel ad bonum, vel ad malum, habita distinctione; nã quicumque in febribus, vel in alijs morbis sponte illa-

lachrymant, nihil absurdum, quũ verò sponte, absurdius, aphoris. 52. Fit etiam per tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus cũ conferentia, & tollerantia aphor. 54. Fit etiam vasorum inanitio transmissa ad cutem bile, si in febribus ante septimum accidat malum aphor. 62. Si verò septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo supervenerit bonum, nisi dextrum hyppochõdrium obdurverit; si verò non, non bonum aphoris. 54. Si vertatur materia noxia circa ventriculum, atq; ad eius os superius malum aphor. 65. Si circa ventriculũ, & musculosum genus, malum, 66. si ad cerebrum adeo, vt tumores inducat, malum, 67. si ad organa respirationi dicata, adeo vt spiritus sic offendens, malũ, aphor. 68. Quod verò spectat ad vasorum inanitionẽ, quæ fit per lotium. Quibus vrinæ crassæ, grumosæ, paucæ

non

non sine febre, multitudo veniens ex his tenuis iuuat aphoris.69. Si perturbata quales iumẽtorum adueniunt cùm detrimento aphor.70. Si alba, & perspicua, præcipue in phreniticis mala aphor.72. Si vrinæ multitudo accidat ijs, quibus ilia suspensa murmurant cum dolore lumborum superueniente, iuuat, aphor.73. Si sit multa crassa, & alba liberat ab abscessu, qui sperabatur futurus ad articulos 74. Quod verò spectat ad excretionem vrinæ, cum qua exeũt aut sanguis, aut pus, aut caruncula, aut veluti capilli, aut furfuracea quædam arenosa, sunt mala non bona ex aphor.75.76.77.78.& 79. quod explicatur quatuor subsequentibus vsque ad finem sectionis.

MA-

MAGNI HIPPOCRATIS

Coi Artis paruę,

Seu aphorismorum aphoristicè explicatorum à Georgio Morali Philosopho, ac Medico Veneto

Sectio IIII.

Aphorismus I.

Connexio præsentis aphoris. cũ postremo antecedentis sectionis, atque primũ cautio seruanda in vtentium purgatione.

EXposuimus aphorismo postremo antecedẽtis sectionis morbos, qui contingũt in postrema ætate, illorum scilicet, qui sunt proxime è luce migraturi, modo rationi consentaneum videtur modum proponere, quo seruandi sunt illi, qui sunt in lucem edituri, si forte contin-

tingat matrem ab aliquo graui morbo corripi, qualis ille est præcipue, qui fit à materia turgente. Animaduertendum igitur, quod quamuis permissum sit apho. 22. primæ sectionis, posse materiam turgentem etiam educi medicamẽto purgante in principijs morborum, hanc tamen regulam generalem, esse in vtero gerentibus cum aliqua moderatione adhibendam; hunc scilicet, in modũ. *Vtero gerentes sunt medicandæ si materia turget quarto mense, & usque ad septimum, sed hę minus. Iuniorę autem, & seniora uereri oportet.*

Aphor. 11.

ESt autem animaduertẽdum, quod tunc etiam, cum exhibetur purgans medicamentum à quarto scilicet vsque ad septimũ, non est hoc, vel illud indiscrimi-

Admonitio pro medicamento purganti aliquando, vel aliq

Quolibet euacuanti eligendo.

natim exhibendum, sed debet esse ipsi materiæ turgenti, quãtum fieri possit, accõmodatum, adeo scilicet, vt ipsa tantum expurgetur materia turgens; nullo autẽ modo illa, quæ non turget; nam *In medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia utile; quæ uerò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.*

Aphor. III.

Dictæ admonitionis euidentissima ratio proponitur.

RAtio propter quam in medicationibus talia sunt educenda è corpore, qualia & sponte prodeuntia vtile, quæ verò contrario modo prodeunt cohibere oportet; est quoniam, vt iam ter in prima sectione dictum est. *Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt, contraria uerò grauiter.*

Apho-

Aphor. IIII.

VErum cum aphorismo 2. primæ sectionis positum sit, vt dignoscamus, an in quacunque euacuatione subsequatur conferentia, atque tollerantia, inspiciẽdum esse, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conuenit, aut non, atque in antecedenti sectione, percurrerimus generatim omnes morbos, quibusque anni temporibus, atque ætatibus congruentes: non tamẽ adhuc sit manifestum, quomodo quęlibet euacuatio sit cuilibet anni tempori, atque morbis conueniens, id modo efficiendum est, sumpta occasione ab expurgatione vtero gerentiũ, quæ potest fieri tam per superiora, quã per inferiora, habita scilicet anni tẽporũ consideratione. Quapropter primũ quidẽ animaduertendũ, quod

Per quam corporis regionem sit purgandum hyeme, & per quã ætate.

oportet *Medicari æstate superiores magis, hyeme vero inferiores.*

Aphor. V.

Cur sub ca ne, & ante canem dif ficiles sint medicatio nes.

SEd si verum existit, quod sæpius sancitum est, in quacũque euacuatione, debere medicũ cauere euacuationem, quæ grauiter fit, atque illam prosequi, quæ leniter, animaduertendum, quod euacuatio, etiam per superiora, non est conueniens in quolibet æstatis tempore, nam *Sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes.*

Aphor. VI.

In expurga tione per superiora, quomodo habitus sit habenda ratio.

QVoniam verò etiam aphorismo 3. eiusdem primæ sectionis, de exercitatorum habitibus verba facientes, animaduertimus in euacuatione inspiciendum esse qualis sit natura, eius qui perferre debet;

atque

atque proxime dictum sit, quod in medicationibus talia è corpore educere conuenit, qualia sponte prodeuntia vtile, quæ verò contrario modo prodeunt prohibere oportet; id propterea animaduertendũ. *Graciles, & facile nomẽtes, purgare superius, cauentes hyemẽ.*

Aphor. XVII.

VOmentes uerò difficulter, & medioeriter bene carnosos per inferiora, cauentes æstatem.

Quomodo per inferiora.

Aphor. VIII.

TAbidos uerò, cauentes ad superiora purgationes; quoniam etiam si vomitus illis possit conuenire ratione temporis æstiui, atque habitus gracilis, non tamen conuenit ratione morbi, quem in qualibet euacuatione inspiciendum esse, dictum fuit aph. citato primæ sectionis.

Cur tabidi nõ sint expurgandi p superiora, cum tamẽ sint graciles.

Aphor. IX.

Melancholici quomodo sint purgandi per inferiora.

MElancholicos uerò plenius per inferiora, simili ratione adhibita contraria purgandi uia, vt scilicet tempus sit hyemale, atque melancholicus sit mediocriter bene carnosus.

Aphor. X.

Cut in valde acutis, turgẽte mãterĩa, ſt medicandum eadem die.

VEtum vt ad materiam turgentem reuertamur, non satis est speciale documentũ tradidisse, quando scilicet sit in vtero gerentibus expurganda, atque reliqua ad habitum, anni tempus, atque morbũ attinentia proposuisse. Verũ operæptetium est, magis generalem regulam proponere, de quacumque scilicet turgentia. Sciendum igitur, quod excepta vtero gerentia oportet *Medicari in ualde acutis si materia*

ria turget eadem die, tardare enim in talibus malum est.

Aphor. XI.

QVemadmodum autē in prædictis morbis acutis tardare est malum, non tameu existimandum, quod in his festinare semper sit bonum; sunt etenim aliqui, in quibus festinatio parum iuuat. Quemadmodum ex. grat. *Quibus tormina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter soluitur, in siccum hydropem firmatur.*

Opportunum præsidium exhibitum, in quib⁹ morbis nihil prodesse cō sueuerit.

Aphor. XII.

SEd vt ad institutum reuertamur, nempe quibus morbis, & cui anni tempori vomitus conueniat, aut nō conueniat, animaduerte. *Quorū alui intestinorum*

Cui morbo non cōueniat purgatio per superiora.

leuitate laborant, hyberno tempore supra purgari malum.

Aphor. XIII.

In difficile vomẽtib⁹, quomodo natura ab arte possit adiuuari antequam vomitoriũ assumatur.

QVoniam tamen diximus aphoris. 6. quod graciles, & facile vomẽtes oportet purgare superius; animaduertẽdum quod si existente gracilitate desit facilitas, hanc tamen posse aliquo artificio adiuuari, vt cum conferentia adsit tollerantia, ex.g. *Ad helleboros, qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt.*

Aphor. XIV.

Quomodo post assumptum vomitorium, quod exemplo declaratur.

SEd quemadmodum antequam assumatur helleborus, est ad faciliorem expurgationem per superiora humectandũ multa quiete, ita è conuerso. *Quum biberit quis helleborum ad motiones quidem*

dem corporum ducere magis, ad ſomnos verò, & quietem minus. Indicat autem nauigatio turbari motione corpus.

Aphor. XV.

Ne ſuccedat nimia purgatio, quid faciẽdum.

SEd quemadmodum vbi non eſt magna ad vomendum facilitas, illa ſunt exhibenda, quæ proxime dicta ſunt, non ſecus, ſi poſt adhibita illa præſidia, periculum ſit, ne corpus incidat in nimiam purgationem, id propterea hæc ad vnguem ſeruanda regula. *Quum volueris magis ducere helleborum moue corpas; quam verò ſiſtere, ſomnũ facito. & non moueto.*

Aphor. XVI.

In quibus habitibus nulla aduenĩat quocũque modo facta expurgatio.

ANimaduertas tamen, quod monita hucuſque propoſita tradita fuerunt in gratiam illorum, qui indigent expurgatione, nam ſi nulla adſit indigentia, at-

atque nos prædictis etiam adhibitis diligentijs, illis medicamẽtum exhibeamus, ſano corpori morbum inducemus; nam *Carnes ſanas habentibus helleborus periculoſus; facit enim conuulſionem*.

Aphor. XVII.

Cur carnes ſanas habẽtibus helleborus ſit periculoſus, morborum exemplo declaratur.

RAtio propter quã ſanas carnes habentibus, helleborus eſt periculoſus, adeo ut faciat cõuulſionem, eſt quoniam ſana corpora non ſcatent humoribus naturæ moleſtis; ex quo inferendũ, quod vbi adſint ſucci qualitate peccantes helleborus conſueuit eſſe vtilis; quemadmodum ex.g. *Si quis febrẽ non habens abſtineat à cibo, & cordis morſum, & tenebricoſam vertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgationem indigere per ſuperiora ſignificat.*

Aphor.

Aphor. XVIII.

RAtio vero propter quã prædicta ſymptomata indigeãt purgatione per ſuperiora eſt, quoniam ſecundum magnam partem ſuam habent ſedem ſupra ſeptum tranſuerſum, namque *Supra ſeptum tranſuerſum dolores, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat; Quicunque verò inferiora moleſtant per inferiora.*

Cur prædicti morbi purgatione indigeãt per ſuperiora, aliorum morborũ exemplo declaratur.

Aphor. XIX.

VErum cum aphor. 15. dictum ſit, cum volueris magis ducere helleborum moue corpus, quum verò ſiſtere ſomnum facito, & non moueto; vt huius regulæ executio fiat cum maiori ægrotantis conferentia, atq; tollerantia, videndum eſt an purgatũ corpus prædicta indigeat motione, nec ne; ne fortaſſe deducamus

Cautio in prædicta regula ſeruanda, & quomodo dignoſcere poſſimus an corpus ſit ſatis purgatum, nec ne.

mus corpus ad extremam inanitionem, quod vt dictū est aphor. 3. primæ sectionis est periculosum; id igitur dignoscendum ex præsentia, vel absentia sitis; nam *Qui in medicamentis purgati nrn sitiunt, non quiescunt prius qnam sitiant.*

Aphoris. XX.

Exemplum morborū partis infra septum transuersū molestantium.

SEd cum aphorismo 18. dictū sit, quod quicunque dolores inferiora molestant, purgatione indigere per inferiora significāt; horum aliquod exemplū est proponendum, atque eo magis, quod aphor. 17. illum exemplum fuit propositum, quæ molestant superiora. Sciēdum igitur, quod *Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas & lumborum dolor, purgari inferius oportere significatur.*

Aphor. XXI.

VErum, vt purgatio efficienda per inferiora magis innotescat, animaduertendum, quod etiam si dictum sit aphor. 2. huius sectionis. In medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia vtile; quæ verò cõtrario modo prodeunt cohibere oportet; non tamen hinc inferendum, quod si euacuationes spontaneæ per inferiora sint praua, id propterea esse a medicamẽto per inferiora expurgante abstinendum, namque *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre pessimæ; & quanto colores magis praui fuerint plures, peius; cum medicamento vero melius, & quãto colores plures; non praui.*

Glossatur ex Hippoc. aphorismo secundus præsentis sectionis.

Apho-

Aphor. XXII.

Quæ deiectiones nigræ, qualis sanguis niger vocent it pessimę, Vnde atræ bilis naturam pessimam esse significatur.

ID tamen, quod dictum est deiectiones nigras, qualis sãguis niger, sponte venientes, siue cũ febre, sine sine febre, esse pessimas, & quãto colores magis praui fuerint plures, peius. Est ita intelligendum, vt tales pessimæ excretiones proxime accedunt ad naturã atræ bilis, quæ omnium pessima est, nã *Morbis quibuslibet incipientibus & atra bilis, vel supra, vel infra exierit lathale.*

Aphoris. XXIII.

Idq; adhuc magis confirmatur ex alio proposito casu.

QVod autem si prædictus sanguis niger proxime accedat ad naturam atræ bilis, sit pessimus, ex eo potest fieri manifestum, quod *Quibuscumque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti* san-

sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur.

Aphoris. XXIIII.

Rursus & ex alio.

EX quibus iure merito videtur eius deletheria qualitas colligenda, nam *Difficultas intestinorum si ab atra bile incœperit est lethalis.*

Aphoris. XXV.

Proponitur exceptio de deiectione nigra.

QVod autem non omnis excretio nigri humoris per infernã sedem sit pessima, ex eo potest fieri manifestum, quod *Sanguis quidem supra qualiscumque fuerit malum, infra autem nigra deiecta bonum est.*

Aphor. XXVI.

Aliud exẽplum dysẽteriæ lethalis, quãnis ab atra bile non proueniat.

VErum animaduertendum, quod quemadmodum aphoris. 24. dictum est, difficultas intestinorum si ab atra bile incepe-

rit

rit est lethalis ; nõ secus posse fieri etiam lethalem si à bile incœperit; quæ nõ sit atra, tamen perseueret per tempus adeo lõgum, vt perforet intestina, namque *A difficultate intestinorum habito, si veluti carũculæ exeant lethale est.*

Aphor. XXVII.

Propõnitur exemplũ sententiæ positæ aphor. tertio primæ sectionis,

SEd, vt quæ de vasorum inanitione dicta sunt melius percipiantur, cum dictum sit aphor. 3. primæ sectionis, sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ, & rursus refectiones cum extremæ fuerint, sunt periculosæ; huius sententiæ est aliquod exemplum proponendum. Sciendum igitur, quod *Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacumque ex parte; quum reficiuntur, alui his humectantur.*

Aphor.

Aphor. XXVIII.

Est autem animaduertendum, quod quando aphoris. 2. primæ sectionis dictum est, sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri oportet, confert, & facile ferunt, sin minus è contra: per vasorum inanitionem, nõ modo est intelligenda illa, quæ fit extra corpus, verum etiã, quæ fit intra, quod hoc exemplo manifestum fiet. *Quibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.*

Ad maiorẽ intelligẽtiã inanitionis vasorũ proponitur exẽplum ex ueterum traditis à patribus nobilib⁹ ad ignobiles, & è contra.

Aphor. XXIX.

Aliud exemplum vasorũ inanitionis, quæ fit bilis intra corpus effusæ cum dubia cõferentia, atque tollerantia, est huiusmodi. *Quibus in febribus sexto*

Aliud exẽplum ex rigore desumptum.

die vigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

Aphor. XXX.

Quibus indicijs dignoscat morbum futurũ longum.

QVoniam autem prædicti vigores fiunt in accessione; animaduertendum, quod ex illis etiam possumus coniectari. *Quibuscumque accessiones fiũt, quacumque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudiciũ habent difficile.*

Aphor. XXXI.

In quibus morbis, & quo iudicio, possimus cõiectari abscessus futuros in articulos, & circa mamillas.

QVemadmodum verò in febribus ex frigore sexta die superueniente; atq; accessione similiter in febribus eadem hora occupante, nihil aliud possumus prænunciare, quam indeterminate iudicium difficile futurũ; non secus determinate possumus in aliquo casu præsagire, abscessũ futurum in aliqua párte corpo-

xis,

ris, vt ex. g. *Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.*

Aphor. XXXII.

Ratio antecedētis sententiæ proponitur exemplo cōualescētiæ.

CAussa propter quam lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt ; est quoniam in febri lassitudinarijà ipsi articuli laborant, iam verò ob eandem causſam *Quibuscumque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hic fiunt abscessus.*

Aphor. XXXIII.

Arg; exemplo eius d'i. propositionis. neutrę quæ antecedit morbum.

QVod dictum est de morbo, & de conualescentia, potest etiam dici de illo statu neutro, qui morbum antecedit, nempe. *Quod si ante morbum pars aliqua doluerit, hic morbus firmatur.*

Aphor. XXXIV.

Cur apho. 31. additū fuerit adꝙerbiū potiſsimum.

QVoniam tamen dictum eſt aphor. 31. quod laſſitudinem habentibus in febribus, circa maxillas potiſſimum abſceſſus fiunt, animaduertēdum, additum fuiſſe aduerbium potiſſimū, quoniam poſſunt in laborioſis febribus, etiam in muſculis laringis fieri abſceſſus inflammatorij admodum praui, nam *Si à febre vexato, nullo exiſtente in faucibus tumore, repentina accedat ſtrangulatio, lethale.*

Aphor. XXXV.

Cur, & quomodo à febri vexato collū adeo peruertatur. vt vix poſsit deglutire.

COnſimiliter poteſt ab eodem abſceſſu inflammatorio, fieri vertebræ retractio ad internam partem; atque proinde *Si à febre vexato collum peruertitur, & vix poteſt deuorare ſine vllo tumore lethale eſt*; atque proinde, hi etiam

mali

mali abſceſſus poſſunt contingere, ſi in febribus ſexto die rigores fiunt; etſi in febribus eadem hora acceſſio occupauerit.

Aphor. XXXVI.

Sudores in febrib⁹ quĩ boni, quĩ mali, ſex dierum cõditione colligun.

SEd cum hactenus dictũ ſit de illa vaſorum inanitione, quæ fit per abſceſſum ad aliquam determinatam corporis partem; nũc de illa, quæ fit per excretionem ſermo eſt inſtituendus. Primum autem ſeſe offerunt ſudores, atq; proinde quemadmodum aphor. 29. dictum eſt, quod quibus in febribus ſexto die rigores fiũt, difficile iudicium ſequitur, ita è cõtra nunc dicendum, quod *Sudores febricitanti ſi incæperint boni, & tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo. & decimoſeptimo, & vigeſimo, & vigeſimoſeptimo, & trigeſimoquarto; hi enim ſudores iudicant*

morbos Qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

Aphor. XXXVII.

Frigidi sudores quomodo sint magis vel minus pernicioſi, pro natura febrium quibus superueniunt.

QVoniam tamen dictum est, quod sudores, qui continguntin diebus nõ decretorijs laborẽ significant, & morbi longitudinem, & recidiuam, animaduertendum tamen nõ esse id indiscriminatim pronunciandum de sudore calido, ac frigido, facto in febre miti, vel acuta, nã *Frigidi sudores cum acuta quidẽ febre mortem, cum mitiori autem longitudinem morbi significant.*

Aphor. XXXVIII.

Pars affecta quomodo dignoscatur ab excretis.

SEd quemadmodum apho. 31. 32. & 33. quod vbi labor, & dolor ibi morbus: non secus hic de sudoribus verba facientes asserendum, quod *Qua parte cor-*

po-

poris sudor est, ibi significat morbum.

Aphoris. XXXIX.

ET *qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus*, vnde colligitur, sudorem frigidũ profluere ex parte frigida, calidum ex calida.

Quomodo ex qualitate mutata.

Aphoris. XL.

QVemadmodum vero in qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus; non secus animaduertendũ *Quod vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel calor alter ex altero fiat longitudinem morbi significat.*

Quomodo ex totius qualitate mutata præsagire possimus morbũ fore longum.

Aphoris. XLI.

HVcusque cõsideraũimus sudores in morbis coutingentes, nunc verba sunt facienda de

Sudor multus non ex morbo, sed ex somno

factus quid portendat.

sudoriubus citra morbum. Scien-dum igitur quod *Sudor multus ex somno factus absque caussa manifesta, corpus vti pluri alimento significat. Si vero cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet, quod euacuatione corpus indiget.*

Aphoris. XLII.

Distinctio sudoris, sẽ per fluẽtis, in calidũ, & frigidũ & quid vnusquisque denunciet.

SEd quemadmodũ sudor multus ex somno factus, potest prouenire, tam ex copioso cibo quam ex morboso apparatu euacuationem exposcente; non secus ille, qui semper fluit non potest ab alia caussa, quam ex morbosa plenitudine prouenire, cum hac tamen distinctione, quod *Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens; frigidus magis, calidus minus, significat morbum.*

Apho-

Aphor. XLIII.

VErum, vt ad febres reuertamur, animaduertendū quod quemadmodum sudor multus sē per fluens, semper magis significat morbum, quā solū ex somno factus, non secus *Febres quæcunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, sunt magis periculosæ; quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.*

Febriū quæ magis, quæ minus periculosæ.

Aphor. XLIIII.

SEd quemadmodum apho. 36. dictum est febres acutas iudicari per sudores nunc sciendū, quod febres longæ tam cōtinuæ, quam intermittentes iudicari cōsueuerunt per abscessus, atque proinde *Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt.*

Quomodo iudicentur febres longæ.

Apho-

Aphor. XLV.

Caloresq̃ proueniũt in febribus longis qua potissimũ causſa cotingant.

ANimaduertendum tamen, quod id non modo prouenit à febris longitudine, verum etiam ex errore in victu, qui ab ipso committur ægrotante, atque proinde. *Quibus tubercula, vel in articulis labores accidũt, ij pleniore vtuntur cibo.*

Aphor. XLVI.

Cautio seruãda ad integrã prædictorũ intelligentiã.

VErum quod dictum est hucusque, rigores, sudores, vel aliam quamlibet transmissionẽ fieri debere in die decretoria, est intelligendum, dummodo virtus non sit admodum prostrata; id quod ipsius rigoris exemplo fieri potest manifestum, nam *Si rigor incidat febre non deficiente, agro iam debili, est lethale.*

Apho-

Aphor. XLVII.

Proponitur ratio antecedentis aphorismi; atq; excreationū bonarū, & prauarum febribus cōtingentiū indicia.

CAussa vero propter quam si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, est lethale, est quoniam quælibet vasorum inanitio, ad hoc vt sit bona, oportet vt fiat cum conferentia, atque tollerantia; iam vero prædicta caret conferentia, quoniam febris non deficit, caret tollerantia quoniā contingit ægrotanti iam debili; atque proinde ob eandem rationem *Excreationes in febribus non intermittentibus, liuida, cruenta, fœtida, & biliosa omnes malæ; & si bene exeat, siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonæ. Si vero non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc locа excernitur, malum.*

Apho-

Aphoris. XLVIII.

Antecedẽtis aphorismi ratio deducitur.

CAussa etiam propter quã prędictæ excretiones in febribus non intermittentibus, quamuis sua natura malæ, si bene exeant, siue per alui excretionem, siue per vrinas, sint bonæ, si vero non aliquid eorum, quæ iuuant per hæc loca excernitur, sit malum, est quoniam retenta possit progignere inflammationem internam cum partium exrernarũ frigiditate; iam vero *In febribus non intermittentibus si partes exteriores sint frigidæ, interiores vrũtur, & sitim habeat, est lethale.*

Aphor. XLIX.

In febribus non intermittẽtibus partium aliquarum peruersio, atque alia.

ESt alia vasorum inanitio longe deterior, nempe *In febre non intermittente si labrum vel oculus, vel nasus, vel supercilium peruertatur, vel non videat, vel*

non

non audiat, iam debili existente corpore, quidquid horum euenerit, mors proxima est.

rum ablata actio quo modo proximã mortem denũcient.

Aphoris. L.

VErum inter tam multa symptomata febribus nõ intermittentibus superuenientia, hæc etiam sunt connumeranda, quod *Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium accidunt lethale.*

Alia lethaliũ symptomatum exempla.

Aphor. LI.

VErum cum superius de variis abscessibus febribus cõtingentibus fuerit facta mentio, atque dictum sit aphor. 44. quod illorum aliqui sunt expectãdi in febribus longis; dubium tamen remanet quid de illis sit prænunciandum, qui apparent in quocũque febris tempore. Sciendum igitur quod *In febribus abscessus,*

Quomodo ex febrium lõgitudine possimus præs. gire futuros abscessus, atq; ex abscessibus febris longitudinem.

sus, qui ad primas iudicationes nō soluunt longitudinem morbi significant; adeo vt, quemadmodum videntes morbi longitudinē, possumus futuros abscessus præsagire; non secus. antequam ipsam videamus morbi longitudinem, illam possimus prætagire ex abscessibus, qui in primis iudicationibus non iudicant.

Aphor. LII.

Cur abscessꝰ qad primas iudicationes non soluunt; lōgitudinem morbi significent.

RAtio propter quam abscessus, qui in primis indicationibus non soluunt longitudinem morbi significant, est quoniam non fiunt à natura sponte materiam noxiam ad externas partes relegante, sed potius à vi materiæ morbificæ, ipsam naturam ad excretionem stimulante, id quod euidētissimo exemplo potest fieri manifestum; nam *Quicunque in febribus, vel in alijs morbis*

spon-

sponte illachrymant, nihil absurdum; qui vero non sponte, absurdius.

Aphor. LIII.

HOc idem est asserendum de lentoribus, qui circa dentes nascuntur, quemadmodum etenim illi qui fiunt citra morbum non sunt mali, non secus in febribus fiunt à vi morbi, nã *Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, his fortes fiunt febres.*

Exemplũ symptomatis, febris fortitudinẽ denunciãtis.

Aphor. LIV.

CAussa vero propter quam in febribus circa dẽtes quidam lentores nascuntur, ipsius febris fortitudinem denunciantes, est quoniam nulla vel à capite, vel ab alia corpotis parte prouenit humiditas; quæ prædictam materiam lentam possit humectare

Cur in febribus lentores fiant circa dentes.

id

id quod poteſt experientia comprobari; ſi quidem, *Quibus plurimum ſiccæ tuſſes leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, nõ multum ſiti infeſtantur.*

Aphor. LV.

Qui abſceſſus antecedãt febres bonas; & qui malas.

SEd cum aphor. 44. loquuti fuerimus de abſceſſibus, qui febres longas ſubſequuntur, atque aphor. 51. de illis, qui febres longas antecedunt, reliquum eſt, vt ad ipſos reuertentes demonſtremus, qui nam abſceſſus antecedãt febres bonas, & qui malas. Sciendum igitur, quod *Ex bubonibus febres omnes malæ præter diarias.*

Aphor. LVI.

Cur omnes febres ex bubone ſint malæ, præter diarias, ex ſudoribus febri-

RAtio verò propter quam omnes febres ex bubone ſunt malæ, præterquã diariæ eſt, quoniam in hac vaſorum inanitione non fuit tranſmiſſa ad bubonem

tota

tota materia noxia, sed tantummodo portio quædam, quæ est tantum quoddam germen illius copiæ, quæ intus coaceruata permanet, quę est in causſa, vt prorogetur morbus; id quod exemplo ab experientia deprompto fieri potest manifestum: namque *Febricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malum; prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.*

bus superueniẽtibus eruitur.

Aphor. LVII.

SEd cum aphor. 26. secundæ sectionis dictum sit, Febrẽ superuenire conuulsioni melius est, quam febri conuulsionem, vniusque sententiæ videbatur reddenda ratio. Est vero ratio primæ, quoniam cõuulsio fit à multa humiditate replente, atq; proinde cũ eius inanitio fiat à febre inaniente, hinc fit, quod *Qui à cõuulsione,*

Cur melius sit febrẽ superuenire conuulsioni, quam conuulsionem febri.

aut distensione nervorum tenẽtur, febre supervenient liberantur. Est ratio secũda, quoniam vt dictum est aphorismo antecedenti, febricitanti multoties supervenit sudor, qui febrã nõ soluit, quoniam multam significat humiditatem.

Aphor. LVIII.

Cur à febre ardenti habito, rigore supervenié te, solutio.

QVemadmodum verò convulsioni, quæ est quædam concussio, supervenies febris eam soluit, non secus euenit febri, si illi supervenerit rigor, qui est totius corporis concussio, hinc fit, vt *A febre ardente habito, rigore supervenient solutio.*

Aphor. LIX.

Cur tertiana exquisita septenis circuitib⁹, quod longissimum est, terminetur.

CAussa propter quam rigor febri ardenti supervenies illam soluit est, quoniã rigor, qui est totius corporis concussio, efficit vasorum aliquam inanitionẽ

cum

cum conferentia, atque tollerantia, propter quam cauſſam etiam prodeſt tertianæ exquiſitæ, cui ſtatim ab initio aſſociatur, nam *Tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus, quod longiſſimũ eſt, iudicatur.*

Aphor. LX.

QVod autem rigor ſoluat febrem ardentem, atque tertianam exquiſitam, aliqua facta per aliquã corporis regionem, excretione, ex eo poſſumus facile colligere, quod *Quibus in febribus aures obſurduerint, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbum.*

Quomodo rigor ſoluat febrem ardensem, atque tertianam exquiſitam.

Aphor. LXI.

SEd quemadmodum ex aphoriſ. 29. huius ſectionis, Quibus in febribus ſexto die rigores fiũt, difficile iudicium ſequitur, non ſecus modo pronunciandum eſt,

Cur in febrib. poſt iudicationem cõtingat recidiua, eſt multoties quod

febris relin quæ die pari.

quod siue à febre ardente habito, rigore superueniente fiat solutio; siue tertiana exquisita, quæ septenis circuitibus iudicari consueuit, quomodocunque aliter iudicetur, siue quibus febribus aures obsurduerint, sanguis è naribus fluens, aut aluus turbata soluat morbum. *Febricitãtẽ nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.*

Aphor. LXII.

Cautio ad præcedentium aphorismorum intelligentiam proponitur.

CVm aũt apho. 59. dictũ sit, quod tertiana exquisita potest ante septimum iudicari, atq; aphor. antecedenti, quod solutio morbi per quamcunque excretionem factam, debet, ne contingat recidiua, fieri die impari, non tamen hinc inferendum, quamlibet vasorum inanitionem factam ante septimum esse bonam, namque *Quibus febribus morbus regius ante diem septimum accidit malum.*

Apho-

Aphor. LXIII.

QVamuis autem in febribus, si bilis ante septimum ad cutem deferatur, sit malum, si tamẽ ad internas partes ita trãsmittatur, vt efficiat rigorem, non est malum, nam *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.*

Cur quib. in febribus quotidie rigores fiũt, quotidie febres soluuntur.

Aphor. LXIV.

VErum vt ad morbum regium reuertamur, quemadmodum ante septimum superueniat, est malum, etiam si superueniat in die impari, ita superuenire, & in septimo, & post septimum, die impari est bonum; adhibita tamen cautione, hũc scilicet in modum. *Quibus in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dex-*

Quomodo & qua lege verum sit morbũ regium superuenire vel septimo, vel post, in die tamẽ impari, sit bonũ.

trum hyppochondrium obdurnerit, si verò non, non bonum.

Aphor. LXV.

Ratio propo-nitur postremæ sententiæ antecedentis aphorismi, proposito exemplo insigni

RAtio propter quam in febribus, si morbus regius superueniat, tum in septimo, tum etiã in alijs diebus imparibus, qui septimum diem subsequuntur, non sit bonum si dextrum hyppochõdrium obdurnerit, est quoniam in tali casu non potest non effundi bilis circa ventriculum, atque prana inferre symptomata, iam verò *In febribus, circa ventriculum, & fortis æstus, & cordis morsus, vel dolor, malum.*

Aphor. LXVI.

Aliud exẽplum materiæ aduersæ.

OB eandem causſam *In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum.*

Aphor.

Aphor. LXVII.

QVod si prædicta materia noxia, quæ febrem progignit, tendat ad caput, vel neruosum genus, ibi potest non leuem inferre noxam. Quemadmodum ex.g. *In febribus ex somnis timores, vel conuulsiones, malum.*

Alij praui symptomatis exemplum, versæ materiæ ad caput.

Aphor. LXVIII.

QVod si deferatur ad organa inseruientia respirationi, consimiliter praua symptomata inferre consueuit; si quidem *In febribus spiritus offendẽs, malum; conuulsionem enim significat.*

Aliud exẽplum versæ materiæ ad organa dicatæ respirationi.

Aphor. LXIX.

VErum, vt reliqua ad vasorũ inanitionũ pertinentia prosequamur, aliquot sunt de vrinis considerãda; atque primum animaduertendum, quod quemad-

Exemplum versæ materiæ ad vrinæ vias cum conferentia, atq; tollerantia

modum ex aphoriſ. 25. huius ſectionis ; ſanguis quidem ſupra quomodocunque eruperit malũ, infra autem nigra deiecta bonum eſt ; non ſecus in febribus materia noxia ad partes nobiles eleuata, prædicta mala inferebat ſymptomata, ſi vero deferatur ad vrinæ vias, conſueuit excerni cum conferentia, atque tollerantia. Nam *Quibus vrinæ craſſæ, grumoſæ, praua, non ſine febre, multitudo veniẽs ex his tenuis iuuat ; præcipuè verò tales veniunt, quibus ab initio, vel breui ſedimen ineſt.*

Aphor. LXX.

Cur in antecedenti aphoriſmo addita fuerit particula *Præcipuè verò tales veniunt*, &c.

QVod autem dictum fuit, prę dictas vrinas præcipuè prodire cum conferentia, quoniam in talibus ab initio, vel breui ſedimen eſt, ideo dictum fuit, quod ſi excernantur illæ in quibus, vel nõ fit ſedimen, vel fit multo poſt, tantum

tum abeſt, vt excernantur cum cõ ferentia, vt potius ſuccedat omnino contrarium, nam *Quibus in febribus vrinæ perturbatæ, quales iumentorum, his dolor capitis, vel adeſt, vel aderit.*

Aphor. LXXI.

Nubecula rubra in vrina quarta die apparẽs, quid denunciet.

COntrarium prorſus conſpicitur in illis, in quibus paulo poſt conſpicitur nubecula; breui etenim tempore iudicari conſueuerunt; nam *Quibus ſeptima iudicatur, his nubeculam habet quarta die rubram, & alia ex ratione.*

Aphor. LXXII.

Cur quib. ſeptima iudicatur, his nubecula habet quarta die rubram, & alia ex ratione.

RAtio propter quam, quibus ſeptimo die iudicatio contingit, ijs vrina rubram die quarto nubeculam habet, eſt quoniam vrina mediam ſortitur conditionem, inter immoderatam craſſitiem,

tiem, & colorem ſuboſcuriũ, qualis eſt iumentorum, atque immoderatam tenuitatem cum albedine, & perſpicuitate, namque *Quibus vrina alba, & perſpicua mala, præſertim ſi in phreniticis appareant.*

Aphor. LXXIII.

Quomodo vnus & idem morbus ſolui poſſit per varias excretiones factas per varias corporis regiones, manifeſto exemplo demõſtratur.

SEd cum hucuſque dicta, fuerint ideo pronunciata, vt ſingillatim intelligantur quæcunq; per ſumma quædam capita fuerunt propoſita aphor. 2. primę ſectionis, aliquod eſt rurſus exemplum proponendum, vt melius intelligantur illa, quæ pertinent ad ventris perturbationem, atque vaſorum inanitionem. Sciendum igitur vnum, & eundem affectum ſolui poſſe per plures ex dictis excretionibus, hoc eſt per ventris perturbationem, atque vaſorum inanitionem, ex gr. *Quibus ilia ſu-*

ſuſpenſa murmurant, lumborũ dolore ſuperueniente, his alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat, hæc verò in febribus.

Aphor. LXXIV.

QVinimo variæ etiam vaſorũ inanitiones, nempe factæ per varias corporis regiones, poſſunt præſeruare ab imminẽti morbo, atq; etiam citius ſi vna excretio cum altera aſſocietur, quemadmodum ex.gr. *Quibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos, liberat ab abſceſſu, vrina multa, craſſa, & alba, facta qualis in laſſitudinarijs quarto die quibuſdam incipit fieri; ſi verò etiam ex naribus fluxerit ſanguis breui admodum ſolutio fit.*

Quomodo excretiones factę p varias corporis regiones poſſint prçreuare ab imminẽti morbo.

Aphor. LXXV.

Sanguinis, aut puris cum vrina mictio, quos denũcient affectus.

VErum quemadmodum vrinę multitudo liberat à lumborum dolore, ſuperueniente iliorum ſuſpenſione, quando murmurant; atque vrina multa, alba, craſſa liberat ab abſceſſu, qui ſperatur ad articulos futurus, atque etiam citius, ſi ex naribus fluxerit ſanguis; ita ſi cum vrina profluat ſanguis, aut pus, tantum abeſt, vt à prædictis morbis liberent, vt potius alias aliarum partium paſſiones indicent, nam *Si ſanguinem, aut pus mingãt, aut renum, aut veſſicæ exulcerationem ſignificat.*

Aphoriſ. LXXVI.

Caruncule paruæ, aut veluti capilli in vrina, quid denuncient.

VErum quemadmodum prædicta cum vrina excreta, indeterminate ſignificãt, aut renes, aut veſſiccam vlcere laborare; nõ ſecus aliqui conſueuerunt cum

vrina

vrina crassa excerni, quæ determi nate designant, quæ nam ex prædictis partibus sit male affecta, nã *Quibus in vrina crassa existente caruncula parua, aut veluti capilli vnà exeũt, à renibus excernitur.*

Aphor. LXXVII.

ET quibus in vrina crassa, furfuracea quædã simul exeunt, his vesica scabie laborat.

Furfuracea quid denũ cient.

Aphor. LXXVIII.

QVoniam tamen dictum est aphor. 75. quod si sanguinem, aut pus mingat, aut renum, aut vesicę exulcerationem significat. Si velimus præcisè dignoscere an sanguis profluat à renibus, aut vessica, id ex eo colligemus, quod sanguis profluat vel sponte, hoc est sine labore, nam *Quicumque sponte sanguinem mingunt,*

Spõraneus mictus sanguinis qd denunciet.

gunt, his à renibus venulam ruptam significatur.

Quo indicio dignoscamus uesicam calculo laborare.

Aphor. LXXIX.

RVrsus ab alijs etiam excretis possumus dignoscere vesicam affectum pati, quemadmodum ex.gr. *Quibus in vrinis arenosa subsistunt, his vessica calculo laborat.*

Quibus indicijs, dignoscatur, arenosas subsidẽtias ĩdicare potius vesicam, quam renes calculo laborare.

Aphor. LXXX.

QVamuis autem prędictę arenosæ subsidentiæ, secundum magnam partem, indicent vesicam calculo laborare; cum tamen possint etiã à renibus prouenire, atque proinde possint etiã indicare ipsos renes calculo laborare; atque eo magis, quod quãdoque excernantur cum sanguine, quem diximus aphor. 75. posse etiam à renibus prouenire; id propterea peculiaria indicia sunt

pro-

proponenda, quibus absolutè dignoscere possimus, arenosas subsidentias indicare ipsum tantum calculum vesicæ; id igitur hunc in modum dignoscemus. *Si sanguinem mingant, aut grumos, aut stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectimen, & fœmen, circa vesicam labor est.*

Aphor. LXXXI.

ESt tamen animaduertendum, quod dum in antecedenti aphorismo connumerauimus prædicta omnia signa ad vesicam attinentia, nõ diximus laborem esse in uesica, sed circa uesicã, quoniam possunt prædicta symptomata prouenire tum ab exulceratione internæ uesicæ, tum etiam à tuberculis factis in urinaria fistula, atque proinde si fiant ab exulceratione uesicæ sic est internoscen-

Cur in antecedenti aphorismo nõ fuerit dictum in vesica, sed circa vesicam.

scendum. *Si sanguinem, aut pus mixerit, aut squamulas, & grauis odor adsit uessicæ exulcerationem significat.*

Aphor. LXXXII.

Vrinæ stillicidiũ quo modo dignoscatur prouenire potius ex tuberculis in vrinaria fistula, quã calculo vesicæ.

SI verò symptomata proueniãt, eo quod adsint tubercula, in urinaria fistula, hinc poteris dignoscere. *Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur his suppuratione facta, & eruptione solutio.*

Aphor. LXXXIII.

Ad præcedentium aphorismorum intelligentiã, declaratur quomodo mictio plurima contingat citra morbum.

TAndem cum aphoris. 73. atq; 74. de vrinæ multitudine morbos soluente, fuerit facta mẽtio, atque dictum sit aphorismo antecedenti, quod quibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur, his suppuratione facta, & eruptione solutio; vnde necessario cõsequitur vrinæ retentæ multitudi-

dinem profluere debere, modo aliquid dicendum de alia vrinæ multitudine, quæ profluit nullo alio morbo præcedente, quæ potissimum noctu fieri consueuit. Sciendum igitur, quod *Mictio plurima noctu facta, minimam significat deiectionem.*

Finis Quartæ Sectionis.

PRÆLVDIVM, ac Analysis Sectionis quintę.

Connexio præsentis sectionis cum antecedétibus.

PRosequitur Hippocrates in hac quinta sectione, quod etiã in antecedenti indicatum fuit, varia exempla proponere, per quæ dignoscere possimus, quando fiant euacuationes cum conferentia, atque tollerantia, vel è contra; cum autem exempla in antecedenti sectione fuerint proposita de vomitibus, atque illis euacuationibus, quæ fiunt per secessum; atq plurima ad reliquas vasorum inanitiones attinentia; non secus in præsenti sectione aliqua proponit ad secessum, atque vomitus attinentia; plurima verò ad vasorum inanitionem, primum per sanguinis effusiones ex

vul-

vulneribus, atque alias quaslibet venarũ anaſtomores, ſeu diereſes: deinde per ſputamina; per materiæ tranſpoſitiones à partibus nobilibus ad ignobiles, vt à partibus ignobilibus ad nobiles, à centro ad circumferentiam, à circumferentia ad centrum, à ſupernis ad inferna, ab infernis ad ſuprema, ab anterioribus ad poſteriora, à poſterioribus ad anteriora, idque tam ſpontaneas, quam arte factas, per tranſfuſiones, exceptiones: Et quoniam aphoriſmo 51. ſecundæ ſectionis damnauerat non modo maximam, atque repentinam euacuationem, vel repletionem, verum etiam calefactionem, aut refrigerationem, vel quomodolibet aliter factam alterationem, id primum declarat de euacuatione facta per helleborum aphor. 1. & 2. deinde de ſumma repletione aphor. 5. 6. & 7. poſtmodum aphoriſ. 16 & 17. id

ipſum demonſtrat de calefactione, atque refrigeratione; & quoniam ibi dixerat, quod paulatim fit, tuto fit, tum alias, tum quum ab altero ad alterum tranſitus fit, id ipſum demonſtrat declarando, quomodo circa hæc recta curatio ſit inſtituenda, variis malorum exemplis in medium propoſitis. Et quoniam primo aphoriſmo quartæ ſectionis, loquutus fuerat de vtero gerentium purgatione, atque ſubinde declarauerat quomodo prædicta purgatio poſſit fieri, tum per vomitum, tum per infernam ſedem, & prædictam conſiderationem vix inchoatam, ſtatim fere dimiſit, ob illam quam diximus cauſſam; id propterea aphor. 29. huius ſectionis prædictam reaſumit conſiderationem, prædictum aphoriſmum ad verbum repetens; cuius occaſione reliqua conſiderat ad mulierum affectiones attinentia: proſequitur

Cur repetat Hippo. aphoriſmũ in antecedenti ſectione propoſitũ.

au-

autem vsque ad aphorism. 64. demonstrare, quomodo in illis fiant excretiones per varias corporis regiones cum conferentia, atque tollerantia, vel contra, à quo aphorismo vsque ad finem sectionis considerat in vniuersum aliqua ad vasorum inanitionem attinentia, similiter cum conferentia, & tollerantia, vel è contra. Quod autem attinet ad analysin, in hac etiam sectione plurimis exemplis demonstratur, quod per summa capita propositum fuit aphor. 2. primæ sectionis: namque quod primum ad vomitum, atque euacuationes per secessum attinet, quemadmodum si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, non secus si purgentur illa, quæ nõ sunt superflua, contrarium euenit, nempe lethalia inducuntur symptomata, siue id accidat ob validum exhibitum medicamentum,

Omniũ aphorismorũ in quinta sect. contentorum series.

vt aphor. 1. & 4. siue quoniam non conueniat morbo, vt aphor. 12. & 14. siue quoniam superueniat vtero gerenti, vt aphor. 34. E contra fit cum conferentia, atque tollerãtia in mensibus decoloribus, nec per idem tempus semper ſuenientibuss ex apher. 36. in vtero gerente si materia turgeat, aphor. 29. Similiter vasorum inanitio, quæ fit per sanguinis effusionem, nisi talis fiat, qualis fieri oportet, praua sequuntur symptomata. Ex vulnere aphorismo 2. per aliam quamlibet corporis regionem aphor. 3. per vterum aphor. 57. & 58. In vtero gernte e per menstrua aphor. 61. sanguinis missione aphor. 31. Talis vero fit, qualis fieri debet per naros menstruis deficientibus aphor. 31. per menstrua mulieri sanguinem euomenti aphoris. 32. Fit etiam vasorum inanitio à superueniente febre, cum conferentia, & tollerantia

tia repentina obtumescentia ex ebrietate aphoris. 5. conuulsioni ex aphor. 71. E contra fit si febres praecipue fortis supernueniat utero gerentibus ex aphoris. 56. Fit etiam uasorum inanitio ab ipso calore nativo, aliquando absumente materiam in musculoso genere, atque neruis contentam, cum conferentia, & tollerantia, ut aphoris. 6. & 21. uel ad cerebri uentriculos irruente, atq; epilepsiam producente, ut aphor. 7. uel ad articulos, ut aphoris. 25. Fit etiam per sputa in morbo laterali cum conferentia, atque tollerãtia, uel è contra, prout sputum citius, uel tardius appareat, ut aphor. 8. & 15. In tabidis semper ad malum, si iectum carbonibus graue oleat aphor. 11. si sit sanguinis spumosi aphor. 13. Fiunt etiam uasorum inanitiones lethales ex calido extrinseco nimium adhibito, ut aphor. 16. Fit etiam

vaſorum inanitio in vtero gerentium mammis ad malum aphoriſ. 37. 38. & 54. *Fit etiam vaſorum inanitio facta tranſmiſſione à partibus ſupernis ad infernas, à mammis ad vterum cum pernicie aphoriſm.* 37. *ab infernis ad ſupernas, vt ad mammas in mulieribus cum pernicie ex aphor.* 39. & 40. *cum vtilitate aphor.* 50. *à partibus externis ad internas ſcilicet ad vterum, in vtero gerente ſimiliter ad perniciẽ aphoriſ.* 43. *Ab interna ad aliam internam facta materiæ prorogatione, vel tranſpoſitione ad bonum, vel ad malum; prout morbus terminetur, vel intra ſeptimum, vel extra ſeptimum aphor.* 10. *Fit etiam per ſternutamenta cum vtilitate in paſſionibus hiſtericis, ac partu difficili aphor.* 35. *In ſecundarum retentione aphor.* 49. *Fit etiam vaſorum inanitio in ijs, quæ non conci-*

ci-

piunt, ob crassitiem præter naturā, aphor. 46. quemadmodum è contra præceperat incrassandas nimium tenues aphor. 44. Verum ad extenuationem quod attinet, etiam inseruiunt aphor. 63. & 64. Fit etiã vasorum inanitio oum pernicie in vlcerum tumoribus ex aphoris. 66. & 67. Pauci aphorismi, de quibus in analysi nulla fuit facta mentio, fuerũt interiecti ab Hippocrate ad declarationem, vel comprobationem, quemadmodum ex nostris explicatiunculis manifestum fiet.

Cur aliqui interiecti aphorismi non videãtur propositum ordinẽ seruare.

MAGNI HIPPOCRATIS

Coi Artis paruę,

Seu aphorismorum aphoristicè explicatorum à Georgio Morali Philosopho, ac Medico Veneto

Sectio V.

Aphorismus I.

Connexio & intētio, vt demonstret qua cautione sit, validū purgans exibendum.

CVm aphor. 51. secundæ sectionis dictum sit, quod plurimum, atque repente euacuare est malum, quoniam Omne nimium est naturæ inimicum, & aphor. 16. antecedentis sectionis dictum sit, quod carnes sanas habētibus helleborus est periculosus, quoniam facit conuul-

sio-

sionem ; iam tẽpus videbatur declarandi, quod nam reliquis omnibus periculum emanet ex conuulsione; eo autem magis videtur necessarium huiusmodi periculũ indicare, quod aliqui videntes, quemadmodum diximus prope finem eiusdem sectionis, aliquos incidere in vrinæ stillicidium, eo quod fistula, sanguinis grumis, fit obstructa, vt aphor. 80. vel ob omnimodã supressionem, vt quibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur ex aphor. 82. vel in minimam deiectionem, ob mictionem plurimam noctu factam, vt aphor. postremo possent ad auertendam materiam serosam helleborum exhibere; atque conuulsionem inducere. Sciendum igitur quod *Conuulsio ex helleboro lethalis est.*

Apho-

Aphor. II.

Cur conuulsio ex helleboro sit lethalis, probatur ex vulnere.

RAtio ob quam conuulsio ex helleboro existit lethalis, est quoniam non euacuantur talia qualia, sed euacuantur plurima, quæ ad partium constitutionem custodiendam retineri deberent; id quod euidentissimo exẽplo, desumpto ex vasorum inanitione, fit manifestum, nam hanc ob caussam *Conuulsio ex vulnere lethalis est*.

Aphor. III.

Ex quacunque plurima sanguinis effusione.

QVinimo ob prędictam caussam, non modo si ex vulnere, verum etiam absolute loquendo, *Vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus, aut conuulsio superueniens est malum.*

Apho-

Aphoriſ. IV.

OB eandem cauſſam nõ modo ex helleboro, verum etiam quomodocunque aliter *Ex ſuperflua purgatione conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens malum.*

Ex ſuperflua purgatione.

Aphoriſ. V.

SEd cum aphor. 57. antecedentis ſectionis dictum ſit, febrem ſuperuenientem conuulſioni, aut diſtentioni neruorum, talem efficere prædictorum vaſorum inanitionem, quæ eiuſdem conuulſionis poſſit eſſe aptiſſima medela; animaduertendum, prædictam ſententiam non eſſe intelligendam de conuulſione ex inanitione, quæ fit ex helleboro, vel ex vulnere, vel ex alio quolibet nimio ſanguinis fluxu, vel ex ſuper-

Cautio ad plures aphoriſmos intelligendos, & quo nomo febris ſuperueniens ob mutescentiç ex ebrietate, illã ſoluat.

perflua purgatione, de quibus in præcedentibus loquuti fuimus; ſed de illa, quæ fit per repletionem, quæ & ipſa licet periculoſa exiſtat, ſi tamen illi ſe febris ſuperuenerit, liberatur; quod huiuſmodi exemplo poteſt fieri manifeſtum. *Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua ſoluuntur crapulæ, vocem recuperet.*

Aphoriſ. V I.

Idem diſtintionis exéplo roboratur.

SEd cum præcitato aphoriſmo mentio facta fuerit de diſtentione neruorum, idem propemodum pronunciandum, quod ſcilicet *Quicunque à diſtentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, ſi vero hos effugerint ſani fiunt.*

Aphoris. VII.

CVm enim aphoris.45. eiusdem sectionis de illa. conuulsione, quę est cum motu verba facientes dictũ fuerit, quod Quicumque iuuenes morbo comitiali laborãt, mutatione maxime ætatis liberantur; modo id etiam aliquatenus est repetendnm, vt dignoscamus, nõ tantum febrem eius esse medelam. Sciendum igitur, quod *Quicumque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt, quibuscumque autẽ vigesimo quinto, cõmoriuntur.*

In qua ætate, morbus comitialis mutationẽ accipiat, & in qua nõ.

Aphor. VIII.

VErum cum ex prędictis, manifestum sit, illas vasorum inanitiones, quæ varijs conuulsionum speciebus contingunt, ad hoc vt sanationem suscipiant, in congruenti tempore fieri debere;

Quomodo in morbo laterali spu situm tarde apparens producat morbum.

de

de illa, quæ fit per ſputum in morbo laterali nobis modo eſt habendus ſermo; non etenim ſatis eſt dixiſſe aphoriſ. 12. primæ ſectionis, quod in morbo laterali ſputum cito apparens abbreuiat morbum, ſed ad vlteriorem intelligentiam animaduertendum, quod *Quicumque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus nõ repurgantur, hi ad ſuppurationem vertuntur.*

Aphor. IX.

Tabes quo determinato tempore in iuuenibus fiát.

SEd cum empiema ſit tabitudo, atque aphor. 29. tertiæ ſectionis indeterminate dictum ſit, quod iuuenibus contingunt ſanguinis ſpuitiones, & tabes; modo vlterius determinandum præciſum tempus, quo hæ vaſorũ inanitiones fieri conſueuerunt. Sciẽdum igitur, quod *Tabes fiunt maxime*

xime à decimo octauo, vsq; ad trigesimum quintum.

Aphor. X.

CVm non semel de illa vasorum inanitione, quæ per materiæ transpositionem fit, nobis in antecedenti sectione fuerit facta mentio, atque nuper de suppuratione loquuti fuerimus, de illa, quæ peripneumoniam consequitur nobis modo dicendum quod. *Quicumque ab angina liberantur, his ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt, si vero hos effugerint, suppurantur.*

Quib⁹ morbi dieb⁹ pereãt vel suppurẽtur illi quibus fit metastasis materiæ à faucibus ad pulmones.

Aphor. XI.

VErum cum proxime de tabe fuerit facta mentio, rationi videtur consentaneum peculiaria aliqua signa proponere, per quæ dignoscere possimus an morbus sit lethalis, nec ne, hæc igitur sunt

Tabitudinis lethalis signa duo.

quod *Qui tabe molestantur, si sputum, quod extussiũt, iniectum carbonibus, graue olet, & capilli à capite defluunt, est lethale.*

Aphor. XII.

Mortis magis præcium signũ.

QVod si præter euentum illius etiam tempus prescire velis, illud ex alia superueniente excretione sic suscipe. *Quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, bi alui profluuio superueniente moriuntur.*

Aphor. XIII.

Quomodo possimus p̃sagire sanguinis sputum debere in tabitudinem migrare.

QVoniã vero, vt diximus septima sectione, à sanguinis sputo puris sputum, & à puris sputo phthysis, & fluxus; si velis præsagire an sanguinis sputum denunciet phthisim, de qua præcedentibus aphorismis loquuti fuimus, eius conditio est considerãda hunc in modum. *Qui-*

cun-

cunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, his è pulmone eductio fit.

Aphor. XIV.

SEd cum proxime dictum ſit, quod quibuſcũque tabe laborantibus capilli à capite defluũt, hi alui profluuio ſuperueniente, moriuntur; animaduertendum, eſſe etiam ſolum alui profluuiũ ſignum funeſtum, ſi tabes ſit habitualis; atq; proinde *à tabe habito, profluuium alui ſuperueniens lethale.*

Quomodo ſolum alui profluuiũ poſſit in tabidis eſſe ſignũ lethale.

Aphor. XV.

CVm etiam aphor. 8. dictum ſit, quod qui morbo laterali laborant, niſi intra dies quatuordecim repurgentur, ijs in ſuppurationem deponitur, huius ſuppurationis terminus eſt indicandus, vt etiam dignoſcamus, non omnes tales fieri à ſanguinis ſpu

Empyematici, qui liberẽtur, & qui ad tabẽ tranſeant.

to. Sciendum igitur quod *Quicũque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur à die, qua fit ruptio, liberantur: ſi vero non, ad tabem tranſeunt.*

Aphor. XVI.

Plurimùm calefacere quomodo ſit naturæ inimicum demonſtratur ſpeciatim.

SEd cum aphoriſmo citato 51. ſecundæ ſectionis etiam dictũ ſit, quod plurimum, atque repẽte calefacere, vel refrigerare, eſt malum, quoniam omne nimium eſt naturæ inimicũ, id modo eſt declarandum, atque primum de calido demonſtrandum, quomodo inter reliquas noxas, poſſit eſſe in cauſſa, vt fiant ſanguinis profluuia de quibus aphor. 3. & ſpuitiones, de quibus proxime loquuti fuimus; animaduertẽdum igitur, quod *Calidũ vbiquis ſæpius eo vtatur hæc mala affert, carniũ effæminationem, nervorum incontinen-*

tinentiam, mentis torporem, profluvia sanguinis, animi defectiones, hæc, ad quæ mors.

Aphor. XVII.

CVm etiam antecedēti sectione, de rigore non semel, atq; aphor. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. huius sectionis de conuulsione, atque distensione neruorum fuerit facta mentio, declarandum, quomodo frigidum immodicū, illorū causſa esse possit; animaduertēdum igitur, quod *Frigidum conuulsiones, distensiones, liuores, rigores affert febriles.*

Frigidum quomodo sit naturæ inimicum explicatur per morbos quos inducit.

Aphor. XVIII.

SPeciatim autem, quod generatim præcitato aphorismo dictum fuit, omne nimium esse naturæ inimicum, sic est intelligendum. *Frigidum inimicum ossibus,*

Deinde p partes quas offendit.

dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medulla, calidum vero vtile.

Aphor. XIX.

Exceptio I curatione inſtituenda per cõtraria.

CVm etiam aphoriſmo 22. ſecundæ ſectionis in vniuerſum dictum ſit, quòd contraria contrarijs ſunt curanda, atque proxime de ſanguinis profluuijs, atque ſpuitionibus fuerit facta mentio; animaduertendum, hæc ipſa prohibere legittimum prædictorum vſum, vel actu, vel potentia, atque ſpectandũ eſſe quod magis vrget proinde *Quæcunque refrigerata ſunt, excalefacere oportet, exceptis his, quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt.*

Aphoriſ. XX.

Frigidum quib⁹ morbis ſit perniciosum.

SEd cum nuper demonſtratum fuerit, quibus humani corporis partibus frigidum ſit inimicum; demonſtrandum eſt, quibus

mor-

morbis sit pernicioſum. *Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones, distensiones.*

Aphor. XXI.

ANimaduertendum etiã, regulam nuper citatam, quod contraria contrarijs curantur, nõ ita esse intelligendam, quin aliquãdo à simili possit curari morbus; quamuis id non tam per se, quam per accidens contingat; namque frigidum, quod (vt nuper dictum est) facit tetanum, illum etiam curat hunc in modũ. *Est vbi in distentione sine vlceratione, iuuene bene carnoso, ætate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat. Calor autem hæc soluit.*

Quomodo, & quatenus, curatio aliquãdo fiat per similia manifesto exẽplo declaratur.

Aphor. XXII.

Calidi moderatq; vſus cur ſanet diſtentionem; atque in reliquis morbis quas præbeat vtilitates.

SEd quemadmodum, vt aphor. antecedenti dictum eſt, frigidum prædictum illud, quod præſtat commodum, non efficit, per ſe, ſed per medium calidum, quo vtitur tanquam inſtrumento ipſi naturæ amico, ita calidum quidquid boni operatur in partibus refrigeratis operatur per ſe; nãque *Calidum ſuppuratorium, non in omni vlcere, magnum ad ſecuritatem iudicium, cutem mollit, extenuat, dolorem ſedat, rigores, conuulſiones, & diſtentiones mitigat, & ex his quæ ad caput attinent, eius ſoluit grauitatem, plurimum autem cõfert oſſium fracturis, ſed nudis præcipue, eorumque maxime, qui in capite vlcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & herpetibus exedentibus ſedi, pudendis,*

vte-

vtero, vessicæ his calidum amicũ, & iudicans, frigidum inimicum, & perimens.

Aphor. XXIII.

Frigidi moderati vtilitates ad plures morbos atque symptomata.

QVamuis autẽ frigidi tã multæ sint noxæ, sunt tamen aliquæ ipsius non contemnendæ vtilitates, atque primum, cum aphor. 19. quod quæcunque refrigerata sunt ex calefacere oportet, exceptis his, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, videtur rationi consentaneum, vt in illis frigido vtamur, in quo tamen, atque reliquis partibus excalefactis non leuis momenti cautio est adhibenda, hunc. s. in modum. *In his frigido vtendũ, vnde sanguis fluit, aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa vnde influit, & quæcunque inflationes, vel in flamina ad rubrum, & subcruentum sanguine recenti tendunt, nam veteribus*

ni-

nigredinem afferet. Erysipelas etiã non vlceratum iuuat, nam vlceratum ladit, quemadmodũ apho. 20. dictum est.

Aphor. XXIV.

Frigidi plurimi atque repẽte adhibiti exemplũ, & quibus corporis partib⁹ sit inimicũ, & quos morbos excitet, demõstratur.

SEd cum ex proxime dictis colligatur, quod si sanguis ex pectore profluat, possumus tuto frigido vti, in hoc etiam cautio est adhibenda, ne scilicet illud plurimum arq; repente refrigeremus, tantum enim abest, vt sanguinem sistamus, vt potius illum excitemus, cum etenim, aphorismo secundæ sectionis citato, dictum sit, quod id est naturæ inimicum, id præcipue de pectore est intelligendum, atque proinde, *Frigida qualis nix, & glacies pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes.*

Apho-

Aphor. XXV.

QVamuis autem aqua frigida qualis nix prædicta pectori inferat symptomata, si tamen alijs affectis corporis partibus minus frigida admoueatur, illis non leue potest afferre iuuamentum hunc. s. in modum. *Tumores articulorum, atque dolores absque ulcere, & podagricos quoque, atque conuulsa, horum plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorẽ, nam modicus torpor dolorem soluit.* Adeovt in aliquibus casibus stupefacientia possint à medico adhiberi.

Frigidi moderati exẽplũ, & quibus morbis sit vtile.

Aphor. XXVI.

CVm igitur aquæ, dummodo moderate frigida adhibeatur, non paucæ sint vtilitates, vnicum signum est proponendum,

Aquæ leuissimæ conditiones.

quo

quo eius præstantiam, atque prauitatem dignoscere possimus, est vero huiusmodi. *Aqua, quæ cito calefit, & cito refrigeratur, leuissima est.*

Aphor. XXVII.

Eius potũ noctu intẽ pestiuũ, vt euitemus, quid faciẽdum.

QVãuis antẽ potissimus aquæ optimæ vsus sit sitim extinguere, non tamen absque magna necessitate est noctu adhibendus, sed potius videndum, an possit somno sedari, quemadmodum enim vbi somnus delirium sedat bonum, non secus, *Qui noctu libere appetunt, his admodum sitientibus, si superdormierint, bonum.*

Aphor. XXVIII.

Ad mulierbria educẽda remedium efficax.

SEd cum de calidoiũ vsu, hucusque non pauca dicta sint, est tamen de suffitibus, qui sub calidorum nomine compræhendun-

duntur, aliquid dicendùm, præcipuè verò ad vsum mulierũ, quarum considerationem ad initium antecedentis sectionis vix inchoatam, statim dimisimus; quemadmodũ igitur ibi dictũ est, quod in medicationibus talia educere è corpore, qualia sponte prodeuntia vtile, quæ verò contrario modo prodeunt cohibere oportet; id modo vlterius declarandum, ab ijs exordium sumentes, quæ in illis menstrua retenta educere valent. Sciendum igitur, quod *Suffitus aromatum muliebria ducit, sæpius verò & ad alia vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.*

Aphor. XXIX.

In vtero gerẽte, nõnisi maxima vrgente necessitate, validũ remedium adhibẽdũ.

QVapropter si vtero gerant, à suffitibus abstinendum, quinimo & à medicamentis purgantibus, nisi maxima vrgente morbi necessitate; atque cautio-

tione, quam ibi proposuimus, nẽpe *Grauidas purgare turgente materia à quarto mense vsque ad septimum, recentiores autem & seniores vereri oportet.*

Aphor. XXX.

Ante eius exhibitionem, quomodo suæ existimationi consulere debeat medicus.

ATque proinde si prędicta vrgente necessitate, medicamentum purgans est adhibendũ, ante eius exhibitionem prædicẽdum, quod *Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.*

Aphor. XXXI.

Cur mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto; fit lethale.

RAtio propter quam mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto lethale existit, est quoniam plurimorum acutorum morborum maximũ est præsidium sanguinis missio, & *Mulier vtero gerens, sanguine miſ-*

so.

so ex vena abortit, & magis si fœtus sit maior.

Aphor. XXXII.

VErum cum aphorismo 28. propositum sit præsidiũ ad retenta menstrua euacuanda, hoc ideo præceptum fuit, vt naturam bene operantem immitemur; nãque *Mulieri sanguinem enomente, menstruis erumpentibus, solatio.*

Quomodo medicus naturã bene operantem imitetur, in phlebotomia.

Aphor. XXXIII.

QVinimo ipsa prouida natura, vbi non potest materiam noxiam per menstrua expellere, ad præseruandum ex malis, quæ ex illorũ retentione proueniunt, aliquãdo consueuit sanguinem per nares cum vtilitate propellere, namque, *Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.*

Quomodo natura multoties in suis operationibus artem antecellat.

Apho-

Aphor. XXXIV.

Vtero gerétes cur nunquam sint purgandæ nisi (vt dictum est) turgente materia.

NOn est autem medico imitanda, vel purgantibus, vel aliter, quando in vtero gerente à causſa morbifica irritata plurimſi excernit per aluum, namque *Mulieri vtero gerenti, ſi aluus plurimum profluat, periculum eſt ne abortiat.*

Aphor. XXXV.

Quomodo medicus natura bene operantem imitari posſit in vterinis prouocandis, aut partu facilitãdo.

QVemadmodum autem *Mulieri, quæ vterinis moleſtatur, aut difficulter parit, ſupernueniens ſternutatio bonum.* Non ſecus debet medicus in prædictis affectibus ſternutamentum excitare.

Aphor. XXXVI.

Quomodo natura cũ male operatur ſit a medico corrigẽda.

VErum vt ad menſtrua reuertamur, quemadmodum prædicta vaſorum inanitio, ſi talis fiat,

at, qualis fieri debet, fit cum cõferentia, atque tollerantia; adeo vt nullo indigeat medico auxilio; ita è contra *Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicãt esse necessariam.*

Aphor. XXXVII.

VErum cum præcitato aphorismo antecedẽtis sectionis dictum sit, quod in medicationibus talia è corpore ducere, qualia sponte prodeũntia vtile; quæ vero contrario modo prodeunt cohibere oportet, animaduertendũ ne temere in vtero gerentibus, si quando erumpunt menstrua illa cohibeamus, multoties etenim talis contingit eruptio, quoniam in actu, sequitur abortus; quem tali signo poteris prædicere; *Mulieri vtero gerenti, si mammæ graciles repente fiant, abortit.*

Quo iudicio possimus futu rũ abortũ præcognoscere.

Q *Apho-*

Aphor. XXXVIII.

Cur dictũ sit *Mãmæ*, in numero plurali, & quomodo præsentire possimus abortum futurum esse masculi, vel fœmellę.

ANimaduertẽdum autem, nõ sine ratione dictum fuisse, mammæ in numero plurali, potest etenim vna tantum gracilis fieri, altera manente in sua crassitie, in quo casu quid præsentiendum, sic accipe *Mulieri vtero gerenti, si altera mamma gracilis fiat, geminos habẽti, alterum abortit, & si quidem mamma dextra gracilis fiat, marem, si vero sinistra fœminam.*

Aphor. XXXIX.

Cautio ne circa prædicta decipiamur, si quidẽ potest virgo lac in mãmis colligere.

VErum animaduertẽdum, ne ex ijs, quæ proxime de lactis in mammis collectione dicta fuere, decipiamur existimãtes prędictam lactis in mammis generationem, esse perpetuum signũ vtero gerentiæ, vel puerperij, potest etenim id prouenire ex solis

xc-

retentis menstruis; namq; *Si mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, huic menstrua defecere.*

Aphor. XL.

QVoniam vero potest contingere, tam in vtero gerentibus, quam in puerperis, atque in illis etiam, quibus menstrua defecere, sanguinem in lac non permutari; id propterea vt scias, quid hoc portendat, generalem hanc regulam accipe. *Quibuscumque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.*

In quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguinem colligi qd portendat.

Aphor. XLI.

QVoniam vero, vt proxime dictum est, lac in mammas collectum, est signum adeo ambiguum, vt dubium esse possit, an id proueniat ex vtero ge-

Quo indicio dignoscere possimus, mulierem concepisse.

rentia, an ex ſolo menſium deffectu, id propterea vt dignoſcere poſſis, tale eſt ſignum. *Si velis noſcere an conceperit mulier, quum dormitura eſt, ei aquam mulſam ad potandum da, & ſi alui tormina patietur, cõcepit; ſin minus non concepit.*

Aphor. XLII.

Quo iudicio, eſſe fœminam aut maſculum.

QVod ſi velis præſcire an cõceperit marem, vel fœmellam, id ex colore poteris colligere, namque *Mulier ſi marem concepit, bene colorata eſt, ſi vero fœminam, male colorata.*

Aphor. XLIII.

Morbi lethalis in vtero gerẽte exẽplum proponitur.

SEd quemadmodum, quibuſcumque mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat, non ſecus *Si mulieri grauidæ in vtero ſit eryſipelas eſt lethale*, namque & aphor. 30. dictum

ctum est, mulierem vtero gerentem, capi ab aliquo morbo acuto, est lethale.

Aphor. XLIIII.

Aliud indicium futuri abortus proponitur, addito eius prȩcauendi modo.

SEd vt ad abortus causſas reuertamur, animaduertendum quod quemadmodum aphor. 37. ex sola mammarum repentina in vtero gerente gracilitate, abortum futurum iudicari demõstrauimus, non secus id posse ex totius corporis gracilitate præsentiri, namque *Quacumque præter naturam, tenues existentes, vtero gerunt, abortiũt, priusquam crassescant.*

Aphor. XLV.

Causſa abortus, qui determinato sequitur tẽpore, sine causſa manifesta.

SEd præter prædictam abortiẽdi causſam satis manifestam, est alia minus manifesta, nimirũ *Quacumque mediocriter corpore habentes abortiunt secundo, aut*

tertio mense sine occasione manifesta, his acetabula vteri plena muccoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrumpuntur.

Aphor. XLVI.

Causa pro ponitur manifesta cur aliquæ mulieres non concipiant atq; modus, illas ad mediocritatẽ redigendi.

SEd quemadmodum aphor. 3. primæ sectionis in vniuersum dictum est, tam extremam extenuationem, quam extremam refectionem esse periculosam; id etiam modo fit manifestũ, quando quidem impediũt generationem, cũ etenim id iam de tenuitate præter naturam fuerit proxime indicatum, potest etiam de nimia crassitie fieri manifestum, nam *Quæcumque præter naturam crassa non concipiunt vtero, his omẽtum os vteri cõprimit, & priusquam extenuata fuerint, non concipiunt*; hac tamen adhibita cautione, quam ibi proposuimus;

quod

quod extenuationes non sunt ad extremum ducēdæ periculosum enim, sed qualis natura fuerit ejus, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit.

Aphor. XLVII.

VErum cum proposita fuerit curatio, tam præter naturā gracilium, quam pręter naturam crassarum, ne scilicet impediatur generatio, est alia instituenda curatio vteri tumorum, cum ad suppurationem tendunt, hic etenim pariter vteri affectus potest conceptionem impedire. Sciendum igitur quod *Si vterus in coxam vergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.*

Alia causa cur mulier non concipiat, atque illam, remouendi modus.

Aphor. XLVIII.

QVod si remotis caussis abortus, atque conceptionis impedimētis, mulier cōcepe-

Aliud signum, cōcepisse mulieré, masculum, vel potius fœmellam.

rit, & ſcire velis, an gerat marẽ, vel potius fœmellam, præter ſignum de colore prægnantis traditum aphor. 42. animaduertendum, quod *Fœtus mares quidem in dextris, fœmina vero in ſiniſtris magis.*

Aphor. XLIX.

Vt ſecundę procedant accómmodatiſſimũ atq; tutiſſimum præſidium proponitur, facta naturæ imitatione.

QVod ſi non compos factus fueris, adeovt tandem mulier pariat quidem, verũ tamen ſecũdinæ intus remaneãt; animaduerte, quod quemadmodum ex aphor. 35. mulieri, quæ vterinis moleſtatur, aut difficultas parit, ſuperueniens ſternutatio bonum, ita in hoc etiam naturam bene operantem imitandam .ſ. *Vt ſecundæ procidant, ſternutatorio impoſito, nares apprehendito, & os.*

Aphor.

Aphor. L.

Mensibus immodice fluentibus accommodatissimum præsidium.

QVod si fortasse, postquã prociderint, facta fuerit tam copiosa menstruorum euacuatio, vt vires illam perferre nequeant, tunc *Mulieri, si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quã maximam ad mammas appone.*

Aphor. LI.

Aliud præsidium ad eundẽ affectũ curandũ, ipsam naturã imitando.

QVod si prædictum cucurbitæ præsidium non iuuerit, ad aliud poteris deuenire, nimirum ad aliquam oris vterini compressionem; est etenim remedium efficacissimum; nã quemadmodum nuper dicebamus, in ijs, quæ sunt crassæ præter naturam, ex sola vteri oris compressione ab omento facta, impeditur quo minus in congressu semen virile vterum ingrediatur; atque vbi tale non adest impedimen-

men-

mentum, poſt factam conceptionem, os vteri, clauditur, adeo vt nihil eggredi poſſit, clauditur autem facta compreſſione, nam *Quæ vtero gerunt his uteri os comprimitur*.

Aphor. LII.

Quibus indicijs prædicere poſſimus, fœtũ futurũ imbecillẽ, aut ſanum.

VErũ vt ex vteri cõpreſſione, modo non fuerit facta ab omento, poteſt obſtetrix dignoſcere primo etiam menſe, an mulier vtero gerat, nec ne: non ſecus quando certe vtero gerit, ſi velis dignoſcere an fœtus editurus ſit imbecillis, nec ne, illarum ſoliditatem, vel flaciditatem animaduerte, quemadmodum etenim ex aphor. 47. ex repentina mammarum gracilitate in vtero gerente facta abortum prænunciabimus; nõ ſecus modo ex flaciditate paulatim facta, poſſumus prænunciare, fœtum futurum imbecillem, hunc

huinc .ſ. in modum. *Mulieri utero gerenti ſi lac multum ex mammis effluat fœtum imbecillem ſignificat ſi uero mammæ ſolidæ fuerint, fœtum ſignificant ſaniorem.*

Aphor. LIII.

Quibus indiciis dignoſcere poſsimus fœtũ fuiſſe corruptũ, nec ne.

QVemadmodum autem præcitato aphoriſmo dictum eſt, repentinam mammarũ extenuationem abortum prænunciare, ſic modo animaduertendũ; quod ſi non extenuentur repente, poſſunt aliquãdo rurſus duræ fieri, atque conſequenter poterit nõ ſequi abortus, nam *Quæ corrumpuntur, ſunt fœtus his mãmæ extenuãtur, ſi vero rurſus duræ fiant, dolore aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infeſtabit, & non corrumpent.*

Apho-

Aphor. LIV.

Quæ vtero gerunt, his neceſſario os vteri clauditur, nõ tamen è cõuerſo ſemper verum eſt.

VErum inter tam multa vtero gerentiæ ſigna, cautio eſt adhibenda; nam cum ſuperius dictum ſit, quod quæ vtero gerũt, his vteri os clauditur, animaduertendum, non eſſe ſemper vice verſa colligendum, quod quibus os vteri clauditur, hæ ſemper vtero gerãt, poteſt etenim id à morboſa affectione prouenire; nam etiã non vtero gerentibus *Quibus os vteri durum eſt, his vteri os comprimi eſt neceſſarium.*

Aphor. LV.

Alia cauſſa propter quam contingat partus difficilis, & cũ periculo, aut abortus periculoſus.

SEd cum proxime demonſtratum ſit aliquos ſequi abortus, propter occaſionem manifeſtam, vel ſcilicet ob multum lactis ex mammis effluxum, vel quoniam corrumpitur fœtus, quod ſi non corrumpatur aliquas ſequi difficul-

cultates, operæ pretium est, vt demonstremus, quomodo sequatur, vel partus difficilis, vel abortus sine occasione manifesta. Sciẽdum igitur, quod *Quæcumque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo; aut abortum faciẽtes periclitantur.*

Aphor. LVI.

RAtio propter quam abortum facientes periclitantur, est, quoniam sæpe incidunt in fluxũ immodicum, iam verò quemadmodum ex aphor. 4. huius sectionis, ex superflua purgatione, conuulsio, aut singultus superueniẽs malum, non secus *In fluxu muliebri si conuulsio, aut animi defectus aduenerit, malum.*

Causa propter quam abortum facientes periclitentur.

Aphor.

Aphor. LVII.

Cur si menſtrua plura fiunt ac. idunt morbi, & ſi nõ fiunt ex vtero morbi contingũt.

QVemadmodũ verò, ob prædictam cauſſam, in fluxu muliebri conuulſio, aut animi defectus aduenies eſt malum, nimirum quoniam nimij exceſſus, vt dictum eſt aphor. ſ 1. ſecundæ ſectionis, ſunt naturæ inimici, ira & de menſtruis eſt exiſtimandum; nam *Si menſtrua plura fiãt accidunt morbi; & ſi non fiant, ex vtero morbi contingunt.*

Aphor. LVIII.

Cur nõ poſſint ſupprimi mẽſtrua niſi vterus aliquem affectum patiatur.

QVoniam verò dictum eſt, quod ſi menſtrua non fiant, ex vtero morbi contingũt; & conſequenter, quod nõ poſſunt mẽſtrua ſuppprimi, niſi vterus aliquem affectum patiatur, animaduertendum poſſe id prouenire, tum quia ipſe vterus primario ſit affectus, vel ſecundario ſcilicet,

per

per consensum alicuius partis vicinæ, quod hoc exemplo potest fieri manifestum. *Recto intestino, aut vtero inflammationem patiente, vrinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis, vrina aduenit stillicidium, hepati autem inflammationem patienti, singultus aduenit.*

Aphor. LIX.

QVoniam vero morborũ omnium ex vteri affectibus contingentium, omnium maximus est sterilitas: si velis dignoscere, an mulier sit sterilis, nec ne, animaduerte, quod *Si mulier non concipit, scire autem velis si conceptura sit, pannis circumtectam desubter suffias, & si odor videatur per corpus exire ad nares, & os, scito quod ipsa ex se ipsa non sterilis est.*

Quo indicio dignoscere valeamus an mulier sit sterilis, nec ne.

Aphor.

Aphor. LX.

Proponitur alia cauſsa, qua prædicere poſsimus fœtum futurum morboſum.

QVod ſi cõcipiente muliere, ſcire velis, an fœtus ſit ſanus, nec ne; hanc ſerua normam, *Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum*, namque ob eandem cauſsam aphor. 53. dictum eſt, quod mulieri vtero gerenti, ſi lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem ſignificat.

Aphor. LXI.

Aliud præſtãtius proponitur vtero gerentiꝭ ſignum.

QVoniam tamen poſſent ceſſare menſtrua, & nihilominus non vtero gerere, cum dictum ſit ſuperius, quod ſi non fluant menſtrua, ex vtero morbi contingunt, id propterea ad tutiora ſigna confugiendum hunc in modum, *Si mulieri ceſſent purgationes, neque febris, neque rigor.*

ſu-

superuenial, & fastidia incidant, indica ipsam in vtero habere.

Aphor. LXII.

Vteri mala cõformatio, siue intemperies, quomodo esse possit sterilitatis causa.

His ita constitutis signis, per quæ dignoscere possimus, an in vtero adsit conceptus, nec ne, operæ pręcium est, vt reuertamur ad signa per quæ dignoscere possimus, ex vteri constitutione, eius aptitudinem, vel ineptitudinem ad concipiendum, & quoniam aphor. 60. dictum est, posse sterilitatem prouenire, tũ ex parte mulieris, tum ex parte viri, vtriusque signa sunt proponenda, atque primum ad mulieres quod attinet. *Quacumque frigidos, & spissos habent vteros, non concipiũt. Et quacumque prahumidos vteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in eis genitura: & quacumq; siccos magis, & aduerentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur*

ſemen. Quæcumque vero ex vtriſque mediocrem habent temperaturam, eæ fęcundæ ſunt.

Cõſimiles proponũtur cauſsæ ppter quas mares fiũt ſteriles.

Aphor. LXIII.

SImiliter autem & in maribus, aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, vt ſemen non tranſmittatur ad os, vel propter ſpiſſitudinem ſpiritus non exit foras, vel propter frigiditatem non concaleſcit, ita vt ad hũc colligatur locum, vel propter caliditatem hoc idem accidit.

Lac quibus morbis, atqua ſymptomatib. eõueniat & quibus non.

Aphor. LXIV.

VErum cum inter tam multa, quæ de mulierum affectionibus dicta fuere, de copioſo lacte ex mammis profluente fuerit facta mentio; atque nemini dubium eſſe poſſit, illud eſſe nõ modo optimum alimentum humanæ naturæ familiare, verum etiã accommodatiſſimũ medicamentum,

tum, si recte administretur, cum aphor. 3. tertiæ sect. dictum sit quod morbi aliqui bene, vel male se habent ad quædam victus genera, atque non modo in antecedenti, verum etiam in hac ipsa sectione, mentio facta fuerit de dolore capitis, de febricitantibus, & de ijs, quibus ilia suspēsa murmurant, & de siticulosis; & de deiectionibus siccis febribus acutis contingentibus; & de immodico sanguinis fluxū, per varias corporis regiones; & de tabidis, & de febribus longis, & paruis; & de præter rationem consumptis; cōsiderandum est modo, quibus lac conueniat, & quibus non conueniat. Sciendum igitur quod *Lac dare caput dolētibus malum, malum vero, & febricitantibus, & quibus ilia suspensa murmurant, & siticulosis; malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ*

sunt deiectiones, & quibus sanguinis multa deiectio facta est. Conuenit autem, & tabidis dare, qui non valde multum febricitant, & in febribus longis, & paruis si nullum ex supra dictis signis affuerit, & praeter rationem consumptis.

Aphor. LXV.

Quomodo vlceribus possint, vel non possint conuulsiones, vel alia symptomata superuenire.

AD vlteriorem etiam intelligentiam eorum, quæ prope initium huius sectionis dicta fuere, aliqua sunt rursus animaduertenda, atque primum cum dictũ sit aphor. 2. & 3. conuulsionẽ sequi ex vulneribus, atque ex multa sanguinis profusione, quę tum ex ipsis vulneribus, tum ab vlceribus fieri potest; declarandum quomodo vlceribus, etiam absq; multa sanguinis profusione, cõuulsiones possint, vel non possint superuenire. Sciendũ igitur quod

Qui-

Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur valde, neque insaniunt. Verum his euanescentibus, de repente quibusdam à tergo conuulsiones, & distensiones fiũt; quibusdam ante insania', vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

Aphor. LXVI.

QVemadmodum igitur si prędictis vlceribus tumores euanescant, prædicta prosequuntur symptomata, ita *Si in vlceribus fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum.*

Si in vlcerib. tumor non appareat, quid timẽdum.

Aphor. LXVII.

SEd cum tumores tam in vulneribus, quã in vlceribus possint esse vel molles, vel crudi, animaduertendum quod *Molles boni, crudi vero mali.*

Tumores qui boni, qui mali.

Aphor. LXVIII.

Quæ curatiua methodus in prædictis affectib sit seruanda.

SEd cũj nuper ex vlcere partis anterioris, ad anteriora; posterioris vero ad posteriora, persentiri mala, dictum sit, est modo animaduertendum, qua methodo in prędictarum partium affectarum curatione sit progrediendũ. Sciẽdum igitur quod ex. g. *Dolenti partem capitis posteriorem, in frõte recta vena incisa prodest.*

Aphor. LXIX.

Cur in euacuatione p sanguinis missionẽ, sit seruanda partiũ rectitudo, & vasorũ communicatio.

CAussa propter quam in curatione instituenda, est seruãda partium rectitudo, atque vasorum comunicatio, est quoniam natura hunc ipsum ordinem seruat in effusione à venis, per partes sensibiles, in rigoribus febrilibus, de quibus superius dictum est, namque *Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis,*

&

& per dorsum ad caput, sed & viris parte corporis posteriore magis, quam anteriore, ueluti femorum capiti, sed & cutis rara, indicio autem est pilus.

Aphor. LXX.

VErum cum aphor. 65. dictũ sit, quod vlcerũ tumoribus euanescentibus, derepẽte quibusdam à tergo conuulsiones, & distentiones fiunt: & nuper dictum sit, rigores tam in mulieribus, quã in viris, incipere magis à partibus posterioribus; vt manifestũ fiat, quod dictum est aphoris. 36. secundæ sectionis; melius esse febrem superuenire conuulsioni, quam conuulsionem febri, atque aphor. 7. quartæ sectionis: Qui à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniẽte liberatur; animaduertendum id præcipue intelligendum, de

Quæ præcipue febris superueniens cõuulsioni, illam sanet, & cur id contingat.

febre quartana ob longos ſcilicet rigores, qui in eius longitudine contingunt; namque *A quartana capti, non admodum à conuulſionibus capiuntur. Si uero prius capiantur, & quartana ſuperuenerit, liberantur.*

Aphor. LXXI.

Quomodo prædicere poſſimus morituros cũ ſudore, & morituros ſine ſudore.

CVm vero aphoriſmo 69. indicatum ſit ex pilorum prouentu, vel carentia poſſe nos cutis raritatem, vel denſitatem indagare, animaduertendum hinc poſſe medicum gloriam comparare, modum mortis prædicendo, quotieſcumque contingat, vel in conulſione, vel in diſtentione neruorum, vel in alijs quibuslibet prauis morbis, de quibus hactenus dictum eſt hunc in modum *Quibus cutes circumtenduntur arida, & ſicca, ſine ſudore moriuntur,*

tur, quibus uero laxæ, & rarę in sudore moriuntur.

Aphor. LXXII.

QVemadmodum ex cutis raritate, seu densitate dictũ est, prędagiri posse mortẽ cum sudore, vel sine sudore, non secus animaduertendum, posse nos ex humore calido, & sicco, qui per vniuersam cutim dispergitur, aliquid consimiliter prędognoscere, hunc in modum *Qui regio morbo laborant, non multum uentosi sunt.*

Qua ratione dignoscere possimus, aliquos non esse multũ ventosos.

Finis Quintæ Sectionis.

PRAE-

PRÆLVDIVM, ac Analysis Sectionis sextę.

Connexio, atq. intentio præsentis sectionis cũ præcedentib.

INter reliqua ad vasorũ inanitionem attinentia sunt, vt ab initio à nobis dictum est, flatus, de quibus nobilissimum opus conscripsit ipsemet diuinus Senex, vt nos existimamus, atque proinde non immerito de illis, tamquam rebus magni momenti in admirando hoc opere mentionem fecit; excerni autem hos non minus, quam reliqua, cum conferentia, atque tollerantia, inter reliqua, indicauit sectione 4. aphoris 73. hisce verbis, Quibus ilia suspensa murmurant, lumborum dolore superueniente, his alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrina multitudo proueniat; hæc verò in febribus.

Se-

Sectione antecedenti aphoris. 35. Mulieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio bonum; in quam intentionem præcipit aphor. 49. ut secundæ procidant, sternutatorio imposito, nares apprehendito, & os, aphorismo tandem postremo dixit, qui regio morbo laborant non multum sunt ventosi: quasi velit causſam propter quam, icterici talem nõ patiuntur affectum, esse quoniam abundant humore calido, & sicco, & sunt destituti humido, ex quo eleuantur venti; atque proinde, quasi sermonem de flatibus continuans ab initio huius sectionis, sic auspicatur. In longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum, aphorismo rursus 13. aliam proponet sternutationis utilitatem. Interim nota in his etiam ordinem seruatum resolutiuum, si quidem flatus

Flatuũ cõsiderationẽ, tanquã magni momẽti, non prætermisit Hipp. in aphorismis.

Ordo resolutiu⁹ quomodo in hac etiam

sectione seruatus fuerit ab Hipp.

sus diuiduntur in omnes suas spe-
cies, facta etiã subdiuisione specie-
rũ subalternarũ in species specia-
lissimas: nimirũ ructuũ in acidos,
& non acidos, prosequitur deinde
Hippoc. ad totius artis cõstitutionẽ,
proponere varias vlcerum, dolorũ,
atque pustularum species, per illo-
rũ signa, illorum naturã indican-
do, atq; demõstrando quomodo per
varias excretiones sanẽtur, vel cu
rationem non admittant; & quem-
admodum quarta sect. demonstra-
uit, vt vidimus, vnum & eundem
affectũ, posse per plures excretiones
ad sanitatem perduci; hoc idem
demonstrat aphoris 10. *vt videbi-*
mus. 11. *demonstrat quomodo vna,*
& eadem vasorum inanitio, duo-
bus diuersis morbis contingat, cum
conferentia atque tollerantia: at-
que postmodum prosequitur indi-
care quomodo contingant vomitus
spontanei, ventris perturbationes,

VA-

vasorum inanitiones, varijs, & diuersis morbis, cum conferentia, atque tollerantia, vel è contra, quod ipsum postmodum demonstrat de præsidijs arte factis. Et quoniam ad uasorũ inanitionem etiam pertinet veneris vsus, de illa etiam demonstrat, cũ sit quodammodo media inter spontaneam, & arte factam, quomodo fiat cum conferentia, atque tollerantia, vel è contra. Tandem cũ in præcedentibus multa dicta sint de varijs morbis, in hac sectione multa proponit ad illorum cognitionem, prædictionem, & curationem attinentia: & quoniam non potest curatio recte institui, nisi vnaquæque eius differentia sit optime perspecta; id propterea multa, quæ prius fuerant in vniuersum considerata, diuidet in suas species, atque specierum modos, vt ordo resolutiuus ab initio instituus melius dignoscatur.

M A-

MAGNI HIPPOCRATIS

Coi Artis paruę,

Seu aphorismorum aphoristicè per ipsum Hippocratem explicatorum

Sectio VI.

Auctore Georgio Morali Philosopho, ac Medico Veneto.

Aphorismus I.

Connexio, & intentio præsentis apho. cum postremo antecedentis sectionis, propo.

CVm postremo aphorismo antecedentis sectionis dictum sit, quod qui regio morbo laborãt, non multum vẽtosi sint; horum occasione modo animaduertimus, flatus, vt etiam

in

in antecedentibus sectionibus demonstratum est, multoties excerni cum conferentia, atque tollerantia; quod & ructuum exemplo potest rursus fieri manifestũ; namque *In longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat signum bonum.*

nitur signũ bonum, ni longis leuitatibus intestinorũ

Aphor. II.

RAtio, propter quam in longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius nõ erat, est signum bonum, est quoniam si ructus acidus non supervenjat, sed prius incœpit cũ leuitate longa intestinorum, non potest esse bonum signum, cum multam significet ventriculi humiditatem; namque ob eandem causſam *Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruũtur. Quibus verò cõtraria salubrius degũt.*

Cur in longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, fit signum bonum.

Aphor.

Aphor. III.

In eorundē difficultatibus signum malum.

QVemadmodum in lõgis leuitatibus inteſtinorũ, ſi ructus acidus ſupernueniat, eſt bonum ita *In longis difficultatibus inteſtinorum, inedia ex faſtidio cibi malum, & cum febre peius.*

Aphor. IV.

Cur in lõgis difficultatibus inteſtinorũ, inædia ex faſtidio cibi malum, & cum febre peius.

RAtio, propter quam, in longis difficultatibus inteſtinorum inediæ ex faſtidio ſunt malæ, & cum febre peiores; eſt quoniam ſignificat vlcera inteſtinorum fuiſſe facta quaſi circũglabra, atque proinde, vel ipſa, vel ſaltem illarum prauos habitus, ad ventriculum, atque reliquas partes nutritioni dicatas, peruenisſe, iam vero *Vlcera circum glabra praua ſunt*, atque hinc manifeſte apparet cauſſa propter quam, vt

di-

dictum est aphor. 33. secundæ sectionis; in quocũque morbo, bene se habere ad oblata bonum, contrarium vero malum.

Aphor. V.

CAussa, propter quam, vlcera circum glabra sũt praua, est quoniam licet omnia vlcera dolorem inferant, dolores tamen ex ipsis prouenientes multum differunt inter se, quemadmodum in internarum partiũ doloribus est videre, atque proinde *Dolores, qui sunt in lateribus, & pectoribus, atque alijs partibus, an multum differant, perdiscendum.*

Cur vlcera circumglabra sint praua.

Aphor. VI.

SEd non modo renum, atq; vesicæ dolores graues; verum etiam minus graues, in senioribus sunt magni momenti, quemadmodum etenim, vt aphor. 40. se-

Cur renũ & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanentur, causa proponitur.

cundæ sectionis Raucedines, & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt, non secus modo animaduertimus, quod *Renum & vessicæ vitia, in senioribus, difficulter sanantur.*

Aphor. VII.

Tumores, & dolor vētris, qui leuiores, qui fortiores.

APhor. 5. consideranimus dolores secundum magnitudinem; aphorismo antecedenti illos consideranimus penes ætatē; modo vero illos cōsiderantes secundum situm, animaduertimus quod *Dolores, & tumores uentris sublimes, leuiores, qui uero non sublimes fortiores.*

Aphor. VIII.

Caussa im mediata cur in senioribus renū & vesicæ vitia difficulter sanētur.

VErum, vt ad renum, & vesicæ, in senioribus vitia, reuertamur; caussa propter quā in illis difficulter sanantur, est quoniam plurimo abundant humido excre-

crementitio, atque illis parum ineſt calidi inati, namque ob hãc eandem cauſſam *Aqua inter cutem laborantibus, ulcera in corpore facta, difficulter ſanantur.*

Aphor. IX.

RAtio etiam propter quam aqua inter cutem laborantibus, vlcera in corpore facta difficulter ſanantur; eſt quoniam prędicta vlcera, ob humiditatem extendentẽ ſunt lata, iam vero hæc etiam eſt cauſſa propter quã *Lata puſtula non admodũ pruriunt.*

Cur aqua inter cutẽ laborantibus, vlcera in corpore facta difficulter ſanẽtur.

Aphor. X.

QVod autem minus pruriãt, quoniam materia magis effluit per circumferentiam, poteſt fieri manifeſtum in aliquibus capitis doloribus, qui extenduntur ad peripheriam, namque *Caput dolenti, & circumdolenti pus,*

Cur latæ puſtulæ nõ admodum pruriant.

uel aqua, uel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.

Aphor. XI.

Quomodo renum, & vesicæ vitia in senioribus etiam possint curationem admittere.

SEd quamuis, vt dictum est aphor. 6. Renum, & vesicæ vitia, in senioribus, difficulter sanentur; huiusmodi tamen vitia, in vniuersum loquendo, possunt curationem admittere; quemadmodũ etenim ex antecedenti aphor. Caput dolenti, & circumdolenti si pus, vel aqua, vel sanguis effluxerit per nares, aut aures, morbum soluit, non secus *Atra bile uexatis, & renum passionibus, hæmorrhoides superuenientes, bonũ*, quoniam scilicet per ipsas effluit sanguis, aqua, atque aliquando etiam pus.

Apho-

Aphor. XII.

Cautio in diuturnis hæmorrhoidibus sanandis.

QVoniam tamẽ per ipsas maxima fit sanguinis effusio, quæ proinde lethalia inducit symptomata, aliqua est curatio adhibenda, magna tamen dexteritate, namque vt aphor. 2. quartæ sectionis, in medicationibus talia è corpore ducere, qualia sponte prodeuntia vtile, quæ vero contrario modo prodeũt, cohibere oportet; proinde *A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non seruetur, periculum est, aquam inter cutem, uel talẽ aduenire.*

Aphor. XIII.

Cur in diuturnis sanãdis hemorrhoidibus, vnica sit aperta seruanda.

CAussa vero propter quam in diuturnis sanandis hæmorrhoidibus non omnes, sed vnica tantum est seruanda aperta; est quoniã si omnes seruentur aper-

tæ, expurgatio crit ſuperflua, praua que ſuperuenient ſymptomata; namque vt dictum eſt apho. 3. antecedentis ſectionis, vbi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus ſuperueniẽs malum, quoniam ex inanitione; contrarium autem euenit in ſingultu, quod fit ex repletione, namque *A ſingultu habito, ſternutatio ſũperueniens liberat.*

Aphoriſ. XIV.

Cur à ſingultu habito ſternutatio ſuperueniens liberet, exẽplo hydropis declaratur.

CAuſſa propter quam à ſingultu habito ſternutatio ſuperueniens liberat, eſt quoniam trãſponitur materia, quæ ventriculum moleſtabat ad cerebri ventriculos, atq; inde excernitur; nã ob eãdem vaſorum inanitionem *Ab aqua inter cutem habito, ſi aqua è uenis in uentrem defluxerit ſoluitur morbus.*

Apho-

Aphor. XV.

OB eandem cauſſam *A longo alui profluuio habito, ſponta-neus uomitus ſuperueniẽs morbum ſoluit*, neque mirum, cum aphor. 1. dictum ſit, In longis læuitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus fiat, qui prius non erat, ſignum bonum.

Roboratur etiam exẽplo vomitꝰ ſponranei.

Aphor. XVI.

SEd quemadmodum euacuationes, per plures corporis regiones factæ, à pluribus morbis liberant, quemadmodum præcipue ab aphoriſmo 10. vſque ad præſentem demonſtratum eſt, nõ ſecus, ſi aliqui morbi alijs morbis ſuperueniant, maximum afferunt detrimentum, quemadmodum ex. g. *A morbo laterali, uel pulmonia habito, alui profluuium aduenies, malum.*

Alui profluuiũ quibus morbis fit perniciosus.

Aphor. XVII.

Cur à morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluuiũ adueniens sit malum.

RAtio propter quã alui profluuium pluribus morbis superueniat cum conferentia, atq; tollerantia, & nihilominus superuẽniens morbo laterali, vel pulmoniæ contingat è contra, est quoniam non tantum est in his spectanda distantia, quam ipsarũ consensus, atque meatuum rectitudo, namque in aliquibus partibus distantissimis est hæc ipsa intueri, quemadmodum ex. g. *Lippientem alui profluuio corripi bonum.*

Aphor. XVIII.

Quæ solutio continui aliquibus corporis partib. nẽpe spernaticis, sit lethalis.

SEd cum hucusq; verba facientes de morbis vesicæ, cerebri, cordis, septi transuersi, intestinorum, ventriculi, & iecoris; demõstratum sit, quomodo illis superuenientes alij affectus possit su-

per-

peruenire vel ad bonum, vel ad malum, modo animaduertẽdum quod si illis superueniat morbus, qui dicitur in soluta vnitate perniciosa, semper est ad malum, nãque *Vessica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo trãsuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, lethale est.*

Aphor. XIX.

RAtio propter quam, vulnera in prædictis partibus inflicta, sint lethalia, est quoniam nõ possunt amplius coalescere, nãq; ob eandem causam. *Quũ discissum fuerit os, aut cartilago, uel neruus, uel genæ particula tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coalescit.*

Eius euidens ratio proponitur.

Aphor.

Aphoris. XX.

Sanguis extra venas effusus in cauitatem, vertitur in pus.

VErum quemadmodũ in vulneribus partium exanguiũ, de quibus in antecedenti dictum est, fit admodum exigua sanguinis perfusio, ita si in vulnere aliarum partium, de quibus aphor. 18. fuit facta mentio, magna fiat sanguinis effusio, atque in aliquã ex prædictis canitatibus effundatur, necesse est, vt in pus vertatur, atque proinde hæc generalis est, regula: *Si in ventrem sanguis præter naturam effundatur, necesse est, ut uertatur in pus.*

Aphor. XXI.

Cur si in ventré sanguis prçter naturã effundatur, necessario vertatur in pus.

CAussa propter quam vertitur in pus; est quoniam, præterquam quod, cauitas est ampla, id etiam habet, quod non habeat exitum, contrarium vero euenit, vbi vel exitum habet, vel saltem

ad

ad aliquam partem decũbit, nãq; *Insanientibus si varices, uel hæmorrhoides superuenerint, insania solutio.*

Aphor. XXII.

VErum quemadmodũ in prędictis crisibus. quæ fiunt, vel per euacuationem, vt hæmorrhoides, vel per decubitum, vt varices, nihil operandum; quoniam fit insaniæ solutio, ita, si maxime natura vergat per locum conferentem, eo ducere conuenit; quẽadmodum ex. g. *Quæcumque nupta ex dorso ad cubitum descendunt, uenæ sectio soluit.*

Quomodo fit adiuuãdus imperfectus naturæ motus.

Aphor. XXIII.

SEd cum aphorismo 11. dictum sit, quod melancholicis affectibus, hæmorrhoides superuenientes bonum, atque aphor. 21. quod insanientibus, si varices, vel hæ-

Humores qui pernitiosissimos affectus pgignere cõsueuerunt, quando latitant, qua arte sint explorandi.

hæmorrhoides ſuperuenerint, ſit inſaniæ ſolutio; operæ precium eſt, aliqua ſigna proponere, per quæ dignoſcere poſſimus, humores prędictos pernicioſiſſimos affectus progignentes. Sciendum igitur quod *Si timor, atque mœſtitia longo tempore perſeuerent, ex eo atra bilis ſignificatur.*

Aphor. XXIV.

Roboratur quod dictũ eſt aph. 18.

SEd quamuis aphor. 19. aliqua ex parte, tradita fuerit ratio propter quam vulnera illarũ partium, de quibus dictum eſt aph. 18. ſint lethalia, id tamen modo eſt euidentiori exemplo demonſtrandum. Sciendum igitur quod *Si aliquod inteſtinorum gracilium diſcindatur non coaleſcit.*

Aphor. XXV.

Tranſmiſſio materię noxię ab

VErum quemadmodum dictũ aphor. 22. eſſe bonum ſi atra bilis

bilis deſcendat à partibus ſupernis ad infernas; atque proinde hunc naturæ motum eſſe medico imitandum, vt aphor. 22. aph. vero 23. dictum ſit, eſſe malum, ſi prædicta atra bilis à partibus inferioribus aſcendat ad ſuperiores, non ſecus modo animaduertendum, id de cuiuſque bilis, vel alterius materiæ noxiæ trãſmiſſione, ab interioribus ad exteriora, vel ab exterioribus ad interiora, dici poſſe; quod eryſipelatis exemplo poteſt fieri manifeſtũ, namque *Eryſipelas uerti ab exterioribus ad interiora non eſt bonũ, ab interioribus autem ad exteriora, bonum.*

interioribus ad exteriora bona, ab exterioribus ad interiora mala, Eryſipelatis exemplo demõſtratur.

Aphor. XXVI.

QVamuis autem bonum ſit, quod eryſipelas vertatur ab interioribus ad exteriora; non tamen quælibet quomodocun-

Non quãlibet tranſmiſſionem bilioſę materiæ ab interioribus

ad exteriora esse sufficientē ad soluēdum morbū, sed tūc solum, cum nō irruit ad partem principem.

cunque facta bilis transmissio, ab interioribus ad exteriora, est sufficiens ad bonam morbi solutionē producēdam; nam vt dictum est aphor. 21. morbos partium infernarum ignobilium, morbos soluere supernarum, & nobilium. nō secus aliquando morbi partium internarum, & nobilium, soluunt morbos partium externarū ignobilium ex. gr. *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solu untur*, nam quemadmodum ex aphoris. 23. timorem, atque mœstitiam, longo tempore perseuerare, est melancholiæ indicium, quoniam significant atram bilem transferri à partibus infernis ad supernas; non secus est censendum de materia, in febribus ardē-tibus, tremores efficiente.

Aphor.

Aphor. XXVII.

VErum cum etiam aphoris. 8. mentio facta sit de aqua inter cutem; atque aphoris. 20. de suppuratis; atque non modo aphoris. 21. verum etiam alijs pluribus, demonstratum sit, naturam melius vasorum moliri inanitionem, cum conferentia, atque tollerantia, euacuando talia qualia euacuari oportet; id propterea methodus est proponenda ad hydropicos secandos, vel suppuratos vrẽdos, vt naturam bene operantem imitemur, animaduertendum igitur ex aphor. 51. secundæ sectionis, non esse plurimum, atque repente euacuãdum; namque *Quicumque suppurati, aut aquã intra cutem patientes, vrũtur, aut secantur; si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur.*

Plurimum atq; repente euacuare, esse malum, exemplo suppuratorũ, aut hydropicorum, qui secantur, aut vruntur. declaratur.

Aphor. XXVIII.

Cur eunuchi neque podagra laborét, neq; calui fiant.

FIt etiam vasorũ inanitio per excretionem seminis, quod est puri simile, atque proinde si talis fiat, qualis fieri oportet, fit cum conferentia, atque tollerantia, fin minus è contra; nam inter alia mala, quæ procreat, est podagra, atque caluitium, atque id propterea, *Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.*

Aphor. XXIX.

Mulier cur podagra non laboret, nisi deficientibus menstruis.

MVlier etiam, licet in veneris vsu aliquam faciat seminis eiaculationem, non tamen est immodica; atque hinc fit, quod *Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.*

Aphor. XXX.

Idem quæsitum de puero.

ET *Puer podagra non laborat, ante vsum venereorum.*

Aphor.

Aphor. XXXI.

VErum cum de pedum dolore inciderit ſermo, eſt modo aliquid dicendum de oculorum doloribus, circa quos eſt animaduertendum, quod quemadmodũ aliquando vnus, & idem morbus conſueuit ſolui per plures ſponte factas euacuationes, vt aphor. 60. 73. & 74. quartæ ſectionis, non ſecus poſſe ſolui per plura præſidia arte facta; ſunt autẽ non modo euacuantia, verum etiam replentia, & quouismodo corpus inanientia. ex.gr. *Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut medicamentum epotum ſoluit.*

Quomodo poſsit vnus & idẽ morbus ſolui p plures arte factas euacuationes.

Aphor. XXXII.

QVod autem, inter reliqua, medicamentũ epotum ſoluat oculorum dolores, ex eo pa-

Cur medicamentum epotũ ſoluat oculorũ dolores.

tet, quod in pluribus affectibus capitis, ſpontaneum alui profluuium, fiat cum conferentia, & tollerantia, patet ex aphor. 36. quartæ, & 7. præſentis ſectionis, nam matetiam è capite ad oculos decumbentem, reuellit ad inteſtina cum facilitate; cuius etiam ſignū eſt, quod *Balbi alui profluuio maxime capiuntur*.

Aphor. XXXIII.

Cut qui acidum eructant non valde morbo ;laterali corripiantur.

SEd cum aphor. 3. tertię ſectionis dictum ſit, quod morbi alij ad alia bene, vel male ſe habent; atque id poſtmodum aliquibus exemplis fuerit demonſtratum; eſt tamen rurſus id alio exemplo declarādum. Sciendum igitur, quod quemadmodum videntes balbos, poſſumus prædicere, illos fore alui profluuijs obnoxios, non ſecus poſſe nos prædicere,

cere, quod *Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.*

Aphor. XXXIV.

Idem calui tiei texẽplo demonſtratur.

OB eandem rationem prædicere poterimus, quod *Quicumque calui ſunt, his magnæ varices non fiunt, quibus vero caluis varices magnæ ſuperueniunt, hi rurſus capillati fiunt.*

Aphor. XXXV.

Cur aqua intercutem laborantibus tuſsis ſuperueniens ſit malum.

RVrſus quemadmodum ex aphor. 14. ab aqua inter cutem habito, ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſoluitur morbus; non ſecus ſi aqua, quæ in infimo ventre, ad partes ſpiritales reſiliat, adeout tuſſim excitet, augetur morbus; atque proinde *Aqua inter cutem laborantibus, tuſſis ſuperueniens, malum.*

Aphor. XXXVI.

Venæ sectionē esse cuiuslibet affectus inflāmatorij remedium, accommodatis exemplis declaratur.

VErum cum non modo tertia sectione, verum etiam quarta, præcipuè verò aphoris. 80. de stranguria facta fuerit mentio; atque hucusq; nullum eius propositum fuerit præsidium; atque in hac sectione modo de naturæ, modo de artis operibus sermo factus sit; eius aliquo remedium indicandum. Sciendum igitur, quod quemadmodum ex aphor. 21. dictum est, inter reliqua præsidia, venæ sectionem soluere oculorum dolores; non secus esse maximum remedium ad alios etiam affectus inflammatorios; namq; *Difficultatē vrinæ, vena secta iuuat, sccare vero interiores.*

Aphor. XXXVII.

Cur difficultatem vrinę iuuet

RAtio propter quam difficultatem vrinæ, vena interiore secta

secta iuuat, est quoniam prædicta venæ sectione imitamur naturam bene operantem, attrahimus scilicet materiam noxiam ab internis ad externa, namque *Ab angina habito, si tumor fiat in collo bonum, foras enim morbus deducitur.*

secta vena potius interna quã externa.

Aphor. XXXVIII.

SEd quemadmodum ex antecedenti aphorismo, natura, quæ est morborum medicatrix, aliquã do propellit humorem bilioſum, & sanguineum, à partibus internis ad externas, cum cõferentia, atque tollerantia; non secus si tumor internus sit melancholicus non transmittitur à natura, atque proinde cum non habeamus naturam adminiculantem *Cancros occultos omnes melius est non curare, curati enim cito pereunt, non*

Quamobrẽ cancros occultos omnes melius sit non curare, curati cito pereant, non curati longius tẽpus perdurent.

curati vero longius tempus perdurant.

Aphor. XXXIX.

Conuulsio & singultus à duplici causa fiunt.

VErum cũ in antecedentibus sectionibus nõ semel de cõuulsione, atq; singultu fuerit facta mentio est modo animaduertendum, ad intelligentiam dictorum, ac eorum, quę sunt dicenda, quod ibi fuit prætermissũ, quod .s. *Conuulsio fit ex repletione, vel inanitione: sita vero & singultus.*

Aphor. XL.

Cui cõuulsionis speciei superueniens quartana, illã curet.

ATque proinde cum dictũ sit aphor. 71. antecedentis sectionis, quod quartana superueniens conuulsioni illam soluit, animaduertendum, quod est intelligendum de conuulsione, quæ fit ex repletione, non autem de illa, quæ fit ab inanitione, id quod tali exẽplo potest fieri ma-

ni-

nifestum *Quibus dolor circa iliũ fit, absque inflammatione, his febris superueniens, dolorem soluit.*

Aphor. XLI.

SI autem fiat cum inflammatione, tam febri associata, quam superueniens, non soluit dolorem, sed suppuratio contingit; & tunc *Quibuscumque suppuratio in corpore existens, non innotescit, ob crassitudinẽ puris, aut loci non innotescit.*

Causæ, propter quas, suppuratio in corpore existẽs, nõ innotescat.

Aphor. XLII.

QVod si non fiat suppuratio, sed duricies, quemadmodũ aliquando in ictericis contingit, est malum, namque *Morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum, malum est;* namq; id propterea, dictum fuit aph. 64. quartæ sectionis, quibus in febribus morbus regius septimo, vel no-

Si hepar tumore inflãmatorio affectum, nõ suppuretur, sed duriũ euadat, quid portendat.

no, vel vndecimo, vel quartodecimo ſuperuenerit bonum, niſi dextrum ilium obduruerit, ſi vero non, non bonum.

Aphor. XLIII.

Lienoſis capti difficultate inteſtinorũ, quæ mala ſuperuenire conſueuerint, & quid ex ſuperuenientibus timẽdum.

SEd quandoquidem de vtriuſque hypochondrij paſſionibus loquuti fuimus aphor. 11. atque aphoriſmo antecedenti, de hyppochondrio dextro dictũ ſit, eſſe malũ, ſi ſuperueniat eius durities, morbo regio laborantibus; nunc dicendum, eſſe peſſimum, ſi lienis duritiei alij quidam morbi ſuperueniãt; dicimus igitur quod *Quicumque lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, his ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum, aqua inter cutem, aut lęuitas inteſtinorum aduenit, & moriuntur.*

Aphor.

Aphor. XLIIII.

QVemadmodum vero aphor. 40. dictum est, quod quibus dolor circa iliũ fit absque inflammatione, his febris superueniens dolorem soluit; ita modo edocendum, quomodo febris possit soluere ileum absque inflammatione factum: Sciẽdum igitur quod, *Quibus ex stillicidio vrina ileos supervenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit.*

Hec, vrinæ stillicidio superueniẽti, quid timendũ, & quid speradum.

Aphor. XLV.

CVm etiam dictum sit aphor. 8. quod aqua inter cuté laborantibus, vlcera in corpore facta difficulter sanantur, & proxime dictum sit, quod si lienosis superueniant vlcera intestinorum longo tempore perdurãtia, mortem portendunt; consequens est

Vlceribus antiquis pdurãtibus, quæ mala sint timenda.

vt

vt quod de vlceribus antiquis, ossibus propinquis, sit sperandum, dicamus. Sciendum igitur quod *Vlcera quacumque annua sunt, aut etiam diuturniora, os abscedere est necessarium, & cicatrices canas fieri.*

Aphor. XLVI.

Si Gibbi fiant ex antiqua defluxione ad tracheam vel thoracem, quid timẽdum.

SEd quemadmodum in antecedentibus sectionibus dictũ est materiam à capite ad os, nares, vel ad intestina profluentem, à pluribus eiusdem capitis affectibus liberare, nõ secus modo animaduertendum, eandem ad tracheam, vel ad pulmones delabẽtem, incurabiles morbos procreare. ex. g. *Qui gibi ex asthmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.*

Aphor. XLVII.

QVoniam vero, tam tusses, quã asthmata, si diu perseuerẽt, consueuerunt prædictũ morbum incurabilem procreare; enitendum erit medico ab illo, quantum fieri possit, præseruare, quod cum fiat præcipue medicamento expurgante, atque venæ sectiones horum administrandorum, est idoneum tempus eligendum. Sciendum igitur, quod *Quibuscumque vena sectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, aut venam incidere oportet.*

Qua curatiua methodo possimus prædictũ perniciosissimum affectum præcauere.

Aphor. XLVIII.

COnsimiliter lincosis poterimus vere venam incidere, atque medicamentum expurgãs exhibere quando quidem & ipsa natura talem facit euacuationem dum-

Probatur prædictam methodũ esse rationi consentaneam, quoniam imi-

ratur naturam morborum medicatricē.

dummodo non ſit diuturna (vt aphor. 43.) cum conferentia, atq; tollerantia, namque *Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens bonum*.

Aphor. XLIX.

Qui morbi podagrici curationē faciliorem admittant; & qui difficiliorem, atque horū terminus proponitur.

SEd quemadmodum ad preſeruandum à morbis podagricis de quibus ſuperius dictū eſt, conueniunt prædictæ medicæ operationes, verno tempore adminiſtratæ: ita dum morbus iam eſt factus, videntur parum vtiles, nāque *Quicumque morbi podagrici fiunt, hi ſedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt.*

Aphor. L.

Quæ in cerebri præciſione neceſſario ſuperueniāt.

SEd quemadmodum in morbis podagricis, poſſumus prædictum terminum præſagire, non ſecus in grauiſſimo cerebri affectu, poſſumus ſuperuenturos affe-

fectus prædicere ex. g. *Quibuscũque præciditur cerebrum, his necesse est febrem, & bilis vomitum superuenire.*

Aphor. LI.

VErum, vt in cerebri præcisione, possumus febrem, atque bilis vomitum superuenturũ præsagire; non secus ex alijs prauis symptomatibus statim accidentibus, possumus alium perniciosissimum eiusdem cerebri affectũ, atque mortis terminum prædicere ex. g. *Quicumque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereũt, nisi febris eos apprehenderit.*

In alio cerebri affectu, quomodo possim⁹ ineuitabilem terminũ mortis præsagire, nisi febris apprehenderit.

Aphor. LII.

CVm etiam in præcedentibus tam sæpe habitus fuerit sermo, de magnis affectibus, atque

Oculorum in dormiẽtibus suspectiones, qñ

de

& quomodo sint signum, malũ, & quomodo nõ.

de alui profluuijs illis superuenientibus, atque de medicamentis purgantibus exhibitis, ne error contingat in prædictione, huiusmodi exemplũ ad oculos attinens non est ignorãdum. *Oportet & considerare oculorũ in dormientibus suspectiones, nã si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione id non cõtingat, malum est signum, & lethale valde.*

Aphor. LIII.

Duæ desipiẽtiæ species, seu modi, & quid vnusquisq; portendat.

CVm etiam de delirio, quod & ipsũ est cerebri affectus, in præcedentibus tam sæpe fuerit facta mentio, eius differentię, atque differentiarũ modi sunt proponendi, quemadmodum de cõuulsione, atque singultu aphor. 39. factum est, Sciendum igitur quod *Desipientia, quæ cum risu*

fiunt

fiunt ſecuriores, qua vero cum ſtudio periculoſiores.

Aphor. LIV.

CVm etiam de ſpirandi difficultate in febribus nõ ſemel dictum ſit, alia eius differentia proponenda, atque quid ex illa præſagiendum, eſt demonſtrandum. Sciendum igitur quod *In acutis paſſionibus, qua cum febre ſunt luctuoſa ſuſpiria, malum.*

Aphor. LV.

CVm etiam aphor.74. quartæ ſectiõnis dictum ſit, quod quibus ſperatur abſceſſum futurum ad articulos, ab abſceſſu liberat vrina multa craſſa, & alba facta, ad hoc vt commode poſſimus naturam bene operantem imitari, non erit præter inſtitutũ declarare quo tẽpore progignãtur, atq; eo præcipue, quod ſec. 3.

Dolores podagrici quibus præcipue anni tẽporibus excitentur.

id

id tum fuerit exacte terminatũ. Siendum igitur, quod *Dolores podagrici, vere, & autumno, magna ex parte mouentur.*

Aphor. LVI.

Si melancholicis cõtingant periculosi decubitus, q̃ mala portendant.

CVm etiam tam sæpe de melancholicis affectibus sit habitus sermo, nunc indicandum, quid ex illorum periculosis abscessibus sit prædicendum. Sciendum igitur, quod *Morborum melancholicorum periculosi decubitus, aut corporis syderationẽ, aut cõuulsionem, aut furorem, aut cæcitatem denunciant.*

Aphor. LVII.

Apoplexiæ quæ præcipue ætate contingãt.

CVm etiam de apoplexia læpius fuerit facta mẽtio, quæ præcipue ætate fieri consueuerit, est demonstrandũ, atque eo magis, quod sectione 3. eius tempus non fuerit exacte præfinitũ. *Apople-*

plexiæ fiunt maxime quadrageſimo anno, vſque ad ſexageſimum.

Aphor. LVIII.

QVemadmodum vero aphor. 50. exemplo diuiſionis, quæ fit in cerebro, demõſtratum eſt, quæ mala ſupra mala neceſſario eueniant, id etiam modo omenti exemplo eſt indicandum, eſt vero, quod *Si omentum excidat, neceſſario putreſcit.*

Quæ mala ſupra mala neceſſarioeueniãt, alio exemplo demõſtratur.

Aphor. LIX.

CVm etiam de coxendico dolore in hoc opuſculo fuerit facta mentio, indicandum rurſus, quod malum ſupra malum huic accidat. Siendum igitur, quod *Quibuſcumque à coxendico dolore diuturno moleſtaris excidit coxa, & rurſut incidit, his mucrores ſuperueniunt.*

Aliud exẽplum illorũ, quibus excidit coxa, & rurſus incidit.

Aphor. LX.

Dicti affectus prœsagium. & curatio.

CVm tandem omnia, quæ in arte considerantur ad rectã prædictionem, atq; curationem, dirigantur, explicandum, quid de prædicti morbi euentu, atque ratione sit dicendum; Sciendum quod *Quibuscumque à coxendicum dolore diuturno molestatis, excidit coxa, his crus tabescit, si non vrantur.*

Finis sexta Sectionis.

PRAE-

PRÆLVDIVM,
atque Analysis septimæ Sectionis.

Connexio, & intentio cum præcedentibus sectionib.

POstquã declarauit, quoquomodo fiat vasorum inanitio cum conferentia atque tollerantia, per pharmaciam, chirurgiam, atque dixtam, in prima sectione; atque id postmodum fuit euidentius prosequutus in sex rebus non naturalibus sect. 2. Post factam enumerationem omnium morborum, symptomatum, atque causarum illa producentium, in omnes suas species, per suas differẽtias sect. 3. Post vestigatas morborum omniũ internas causas omnis generis, per sua accidentia, hoc est signa tam diagnostica, quã prognostica sec. 4. Postquam demonstrauit quomodo

morbi possint alijs morbis superuenire cum conferentia atque tollerantia; atque etiam quomodo naturam bene operantem imitantes, bonam in alijs instituamus curationem, vel è contra; quod prosequutus fuit sect. 5. & 6. Tandem hanc 7. sectionem totam fere impendit, in proponendis superuenientibus; quamuis etenim sectione antecedenti non semel de illis mẽtionem fecerit, longe tamen plura in hac proponit sectione; adeo vt nõ inepte septima hæc sectio de superuenientibus à nonnullis fuerit appellata. Quamuis autem, si velimus totam sectionem percurrere, non sit arduum eius analysin adinuenire, nos tamen breuitatis studio illam paucis perstringemus, lectorem ad aphoristicam explicationẽ; vel si hæc non sufficiant, ad nostra copiosissima commentaria relegãtes. Cum igitur morbi sint vel par-

particulares, qui dicuntur morbi partium; vel vniuersales, qui febres nuncupantur, Hippocrates longe plura enumerat superueniẽtia morbis particularibus, quam febribus contingentia. Iam vero superuenientia, vel sunt morbi alijs morbis superuenientes, vel symptomata; atque vtraque cum superueniunt, vel superueniunt ad mortem, vel saltem ad perniciem; vel ad salutem, vel saltem ad meliorem conditionem. Quamuis nullum plura enumeret ad malum, quam ad bonum; aliquos tamen recenset alijs morbis superueniẽtes, qui liberant ab illis morbis, quibus superueniunt; neque mirũ, licet etenim sint humanæ naturæ hostes, multoties tamen, non setus ac euacuationes quæ fiunt ab arte, superueniunt cum conferentia atque tollerantia, hinc non inepte Plutarchus eruditum conscripsit li-

Ordo in hac septima sectione ab Hippocrate seruatus.

libellum, quem inscripsit de vtilitate ab inimicis capienda. *Ne tamen ab instituto nostro recedamus, animaduertendum; præceptorem in hac septima sectione præcipue demonstrare, quomodo ventris perturbationes, vomitus spõtanei, aut qualibet vasorum inanitio, per quãcumq; corporis regionem, & quomodolibet facta, possit omnibus fere morbis superuenire, cum conferentia atque tollerantia; vel è contra: eum etenim in fine aphorismi secundi primæ sectionis dixerit,* & Morbis in quibus conuenit, aut non, *hanc præcipue tractationem, sibi ad postremam hanc sectionem reseruauit, quemadmodũ videbimus. Interim non est ignorandum admirandum Senis artificium, quippe qui, etiamsi vniuersam fere artem medicã in sex prioribus sectionib. fuerit prosequutus, nihilominus voluit in hac po-*

stre-

strema sectione, aliqua euidentius explicare, qua maiorem videbantur habere dubietatem; hac in re præstãtiores pictores imitatus, qui prius totam conficiunt imaginem; postmodum aliqua, pro maiori indigentia, ad maiorem redigũt perfectionem: quod fuit in causſa, vt in præsenti sectione, nõ semper adeo euidens reperiatur nexus vnius aphorismi cũ antecedenti, quemadmodum in præcedentibus sectionibus à nobis fuit repertus; causſa inquam fuit, quoniam multoties coactus fuit dictator aliquos aphorismos in prædictis sectionibus conscriptos, vel firmiores reddere, necessariam aliquam cautionẽ proponendo; vel ad maiorem euidentiam, aphorismum manifesto aliquo exemplo illustrare. Atque proinde existimamus nos, aduersus comunem interpretum sentẽtiam; nullum aphorismum, ex his quos

nos interpretamur, fuisse vel spurium, vel a dictatore frustra repetitum; quemadmodum euidentius in nostris commentarijs D. F. demonstrabimus.

MA-

MAGNI HIPPOCRATIS Coi Artis paruę,

Siue aphorismorum per ipsum aphoristicè explicatorum

Sectio VII.

Auctore Georgio Morali Philosopho, ac Medico Veneto.

Aphorismus I.

Connexio, & intentio præsentis aphorismi.

CVm in antecedenti sectione, aliquot considerauerimus superuenientia morbis, tam longis, quam acutis, tam ad bonum, quam ad malum: In præsenti plurima sunt considerã-

da,

da, magis ad acutos, quam longos; magis ad malum, quam ad bonum pertinentia: Primum tale occurrit, *In morbis acutis frigus partium extremarum malum.*

Aphor. II.

Cur in acutis morbis frigus partium extremarum sit malum.

CAussa, propter quam, in prædictis morbis frigus partiũ extremarum existit malum, est quoniam denũciat extinctionem calidi innati; quẽadmodum hoc euidentissimo exemplo est videre. *In osse ægrotante caro liuida malum est.*

Aphor. III.

Oculorum rubor alteri prauo symptomati associatus, quid portendat.

CArni liuidæ proxime accedit oculorum rubor, quotiescũque alteri prauo symptomati associatur, atque proinde, quemadmodum ex aphoris. 4. quintæ sect. ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens malum;

lum ; non secus *A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum.*

Aphor. IIII.

Horror post sudorem quid portendat.

QVod dictum est de superuenientibus vomitui, atq; infernæ purgationi; est etiam intelligendum de vasorum inanitione ; quemadmodum etenim ex aphorismo 2. eiusdem sectionis, cõuulsio ex vulnere lethalis, & ex 3. vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus, aut conuulsio, superueniens malum ; ita *A sudore horror, non bonum.*

Aphor. V.

Maiori morbo si minor superueniat, quid spectandum.

NOn solum malignitas morbi dignoscitur ex prauis signis superuenientibus ; Verum etiam ex minoribus malis, quando maioribus superueniunt, dignoscitur illorum benignitas; nãque vt aphor. 21. antecedentis sectionis.

ction. dictum est, Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio; non secus *A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio bonum.*

Aphor. VI.

Proponitur aliud exemplum eius sententiæ, *In quo cumq; morbo male se habere ad oblata malum.*

VErum instituendum est, non modo de ijs, quæ morbis acutis, sed etiam de ijs, quæ longis superueniunt sermonem habere; atque proinde quemadmodum ex aphoris. 3. antecedentis sectionis, In longis difficultatibus intestinorum, inædiæ ex fastidio malæ; non secus *In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ malum.*

Aphor. VII.

Nimiæ potationi, quę symptomata superuenẽ.

RVrsus quemadmodum vasorum inanitioni, praua superueniunt symptomata, vt ex apho-

aphorismo quarto, A sudore horror non bonum, non secus, etiam inter reliqua, nimiæ vasorum repletioni, praua admodum supervenire consueuerunt; quemadmodum ex.gr. *Ex multa potatione, rigor, & desipientia malum.*

nire cõsue nerint.

Aphor. VIII.

SEd, vt ad vasorum inanitionem reuertamur, quemadmodum ex aphor. 37. antecedentis sectionis, Ab angina habito si tumor fiat in collo, bonum; foras enim morbus deducitur, nõ secus *A tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fit.*

Si tuberculum intus rumpatur, quæ symptomata subsequi consueuerint.

Aphoris. IX.

RAtio propter quam à tuberculi intus ruptione, Exolutio, vomitio, aut animi defectio fit, est quoniam euacuatur, quæ euacuari non debent, spiri-

Cur à tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fiat

tuum

tuum ſcilicet ingens copia; namque ob eandem cauſſam *A profluuio ſanguinis, deſipientia, ac conuulſio malum.*

Aphor. X.

Praua ſymptomata, quæ ileo ſuperuenire conſueuerunt,

CONſueuerunt etiam praua ſymptomata internæ inflãmationi, præcipuè ileo ſuperuenire; quemadmodum etenim vbi cauſſæ eſt ambiguæ, euentus etiã eſt varius, vt ex aphoriſmo 44. ſextæ ſectionis. Quibus ex ſtillicidio vrinæ ileos ſuperuenerit in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperuenienti ſatis vrina fluxerit; non ſecus, quando ſymptomata ſunt praua, cauſſam etiam prauam indicant; nam *Ab Ileo vomitus, ſingultus, deſipieentia, vel conuulſio malum.*

Aphor. XI.

IDem euenit cum inflammatio, inflammationi superuenerit, ex. gr. *A morbo laterali, inflammatio pulmonis malum.*

Quomodo inflammatio inflammationi superueniat.

Aphoris. XII.

VErum non modo est malum cum inflammatio communicatur partibus propinquis; vt ex antecedenti exemplo manifestū est; verum, quod magis est, quando communicatur partibus longinquis, ex. gr. *A pulmonis inflammatione, phrenitis malum,*

Inflāmatio pulmonis si cerebro communicetur; qui subsequatur affect?

Aphor. XIII.

CAussa propter quam à pulmonis inflammatione phrenitis est malum; est quoniam talis phrenetis fit ab æstibus fortibus, atque proinde illam etiam comitari consueuerunt conuulsio atq; di-

Cur pulmonis inflammationi phrenitis superuenire consueuerit,

distentio, iam vero *Ab æstibus fortibus, conuulsio, aut distentio malum.*

Aphor. XIV.

Quomodo à causa externa pessima inducatur symptomata.

MOrbis etiã ab externa causa factis, præcipue si contingant parti nobili, consueuerũt prædicta praua superuenire symptomata ex.gr. *In capitis ictu obstupescentia, & desipientia malum.*

Aphor. XV.

Sanguinis sputũ à capitis ictu proueniẽs, nõ est val. de formidandum.

SEd quemadmodum si capitis ictui nihil aliud superueniat, quam sanguinis sputum, non est valde formidandum, non secus *A sanguinis sputo, puris sputum malum.*

Aphor. XVI.

Cur à sanguinis sputo puris, sputum sit malum,

RAtio, propter quam, à sanguinis sputo puris sputum

est

est malum, exiſtit quoniam ſit *A puris ſputo, phthiſis, & fluxus ſiquĩ vero ſputum retinetur, moriuntur.*

Aphor. XVII.

VErum vt ad internas inflammationes reuertamur; animaduertendum, illam etiam eſſe malam, quæ hepati contingit, cuius magnitudinem poſſumus à ſuperueniẽte ſingultu dignoſcere, namque *In hepatis inflammatione ſingultus malum.*

Hepatis inflãmationi quod ſymptoma ſuperuenire cõſueuerit.

Aphor. XVIII.

QVoniã vero dictũ eſt aph. 3. ſecundæ ſectionis, quod vigilia ſi modum exceſſerit eſt malum; operę precium eſt indicare, quod nam ſit hoc malum, ſciendum igitur, quod *In vigilia conuulſio, vel deſipientia malum.*

Vigilię modum excedenti quæ ſymptomata praua ſuperuenire conſueuerint.

Aphor. XIX.

Ossis nudationi quod symptoma superuenire consueuerit.

NOn modo, vt aphor. 2. dictum fuit, in osse ægrotante, caro liuida malum est, verum etiam erysipelas, si in eius nudatione superueniat, namque *In ossis nudatione erysipelas, malum est.*

Aphor. XX.

Cur in ossis nudatione, erysipelas sit malum.

RAtio propter quam, erysipelas morbus alioquin non valde pernicioſus, in ossis tamen nudatione sit malum; est quoniã dicto erysipelati cõsueuerunt superuenire putredo, aut suppuratio, iam vero *Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum.*

Aphor. XXI.

Fortè in vlceribus pulsui, quod nam symptoma superuenire cõsueuerit.

SEd quemadmodum in putrefactione erysipelatis, fit pulsatio, non secus aliquando fieri consuenit in vlceribus, quæ si sit for-

fortis, est symptoma nõ contemnendum, namque malum est *A forti in vlceribus pulsu, profluuiũ sanguinis.*

Aphor. XXII.

Ventris dolori diutur no, quod nam symptoma cõtingat.

QVemadmodũ vero erysipelati consueuit superuenire suppuratio; non secus potest internis ventris partibus superuenire; nam quemadmodum ex aphor. 11. quarte sect. Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborũ dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliter soluitur, in hydropem siccum firmatur; ita si dolor sit in vna parte firmatus, vt videre est in diuturnis, consueuit potius suppurari, nãq; *A ventris dolore diuturno, suppu-*

Aphor. XXIII.

Deiectio sincera in difficultatē intestinorum degenerare cō. sueuit.

VErum quandoquidē de ventris dolore fuit facta mētio, animaduertendum, quod vt ex aphor. 14. secundæ sectionis, in profluuijs alui mutatio Excrementorum iuuat, nisi fiat ad malum, ita è contra *A deiectione sincera, difficultas intestinorum malum*.

Aphor. XXIV.

Capitis ictui quando, & quomodo desipientia superuenire consueuerit.

SEd quemadmodū ex aph. 14. malum est, si capitis ictui superueniat obstupescentia, & desipientia; sic modo signum tradendum, per quod dignoscere possimus, quando hæc sint superuentura; sciendum igitur, quod contingit *In ossis præcisione desipiētia, si in vacuum apprehenderit.*

Aphor.

Aphor. XXV.

VErum vt singula maiori, quapossimus euidentia proponamus; animaduertendum, quod quamuis aphor. 1. quintæ sectionis, speciatim de helleboro dictũ sit, quod ab eo assumpto, conuulsio est lethalis; id esse de vniuscuiusque medicamenti potione intelligendum; atque proinde *ex medicamenti potione, conuulsio lethalis est.*

Nõ modo ex helleboro, verum etiam ex cuiuscũq; medicamẽto conuulsionẽ esse lethalem.

Aphor. XXVI.

RAtio propter quam, ex medicamenti potione, conuulsio lethalis existit, est quoniam prædicta conuulsio indicat fortẽ ventris dolorem; Iam vero *In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas malum.*

Cur ex medicamenti potione cõuulsio sit lethalis.

Aphor. XXVII.

Cur mulieri vtero gerenti intẽsio superuenerit, fiat aborti⁹.

SEd quemadmodum forti totius ventris dolori, consueuit superuenire extremarum partiũ frigiditas, quæ vt dictum fuit, est mala; ita si fortis ille dolor vnicã tantum ventris partem occupet, nimirum rectum intestinũ, quod in mulieribus, vtero substernitur, est malum; namque *Mulieri vtero gerẽti, si tensio superuenerit, facit abortum.*

Aphor. XXVIII.

Pars spermatica abscisa non modo extra vterum eggressio, verum etiã in vtero ĩcluso, non augetur.

VErum quandoquidem de vtero gerẽtibus incidit sermo, animaduertendum, quod in vniuersum aphor. 19. sextæ sectionis dictum est, hic speciatim esse de illa præcisione intelligendum, quæ fit in fœtu, quando latitat in vtero; quamuis etenim quandiu viuit in vtero, necessario totum cor-

corpuſculũ creſcit, nihilominus *Quando os, aut cartilago, aut nervus abſcinditur in corpore, non augetur.*

Aphor. XXIX.

QVod etiam ad ventris attinet affectus, quod de aſcite dictum eſt aphor. 14. ſextæ ſect. Ab aqua intercutem habito, ſi aqua, quæ in venis eſt, in ventrem defluxerit, ſoluitur morbus, eſt etiam de leucophlegmatia intelligendum, nam *Qui alba pituita detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſuperuenerit, à morbo liberatur.*

Nõ modo aſcit, verum etiam leucophlegmatiæ, ventris fluxus ſuperueniẽs ſoluit morbum.

Aphor. XXX.

NEque certe mirum, quod pituita quæ in totius corporis ambitu continetur, poſſit per fortem ventris fluxum excerni, quãdo quidẽ quæ in totius corporis

Quod excremẽtũ in remotiſſimis corporis partib. contenta poſſint per

alüum excerni; manifestis exemplis declaratur.

remotissima parte stabulatur, per hãc ipsam regionem excernitur; nam *Quibus in alui profluuijs excrementa spumosa sunt, his ex capite defluit pituita.*

Aphor. XXXI.

Quæ vrina morbi longitudine portendat.

ET quemadmodum alba pituita crassa, vel in toto, vel in capite contenta, consueuit ad inferiorem ventrem descendere, atque excrementa spumosa efficere; non secus, in febribus, consueuit per vrinæ vias transire; atque tunc, *Quibuscunque febricitantibus in vrinis fiunt sedimina, veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat.*

Aphor. XXXII.

Quæ vrina acutũ morbum significet.

VT ex vrinæ crasso sedimine, morbi longitudo est prædicenda, ita ex tenui brevitas & acuties, atque proinde; *Quibus bi-*

liosa

lioſa ſedimina ſupra tenuia, acutum morbum ſignificant.

Aphor. XXXIII.

SEd vt de vrinis ſermonem accuratius proſequamur; cum aphor. 70. quartæ ſectionis dictũ ſit, quibus vrinæ perturbatæ quales iumentorum, his capitis dolor vel adeſt vel aderit; cum ibi cauſſa non fuerit propoſita, nunc videtur proponenda; eſt vero quod magna in corpore fit perturbatio; namque conſimiliter *Quibuſcumque vrinæ diſparatæ ſunt, his turbatio fortis in corpore fit.*

Quamobrẽ, quibus vrinæ perturbatæ quales iumẽterum, capitis dolor vel adeſt vel aderit.

Aphor. XXXIV.

QVoniam vero aphoriſ. 31. dictum eſt, quod quibuſcũque febricitantibus in vrinis fiũt ſedimina, veluti farina craſſior, longam ægritudinem fore ſignificat; vide ne te decipiat renũ vitium; tenuia

Cautio ne decipiamur ex vrina, exiſtimãtes eſſe vitium totius, cum tamen ſit vitium renũ longũ.

tium; atque sit potius vitium partis, quam totius; atque proinde talis cautio est adhibēda. *Quibus in vrinis bullæ subsistunt, morbum renalem & longum significant.*

Aphor. XXXV.

Aliud indicium, renū vitij acuti.

VT quibus in vrinis bullę subsistunt, morbum renalem, & longum significant; ita *Quibus insidens pingue & simul totum, his renū vitium acutum significatur.*

Aphor. XXXVI.

Si morbo renali laborantes, prędictas excernant vrinas, & dolores circa spinæ musculos fiāt, quando abscessus sint expectandi ad exterio

SCiendum autem, quod cum prędictis renum affectibus, tā longis, quam acutis, alij morbi associari consueuerunt, ex. grat. *Quibus morbo renali laborātibus, prædicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt; si quidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta, si vero dolores magis circa*

loca

loca interiora fiunt, etiam abscessus expecta futuros interius.

ra, & quando ad interiora.

Aphor. XXXVII.

QVod si abscessu facto ad interiora, subsequatur sanguinis vomitus; ad hoc, vt dignoscere valeas, quomodo fiat cum conferentia, vel è contra; hanc serua normam, *Quicumque euomunt sanguinem, si sine febre quidem; salutare; si vero cum febre, malum; curare vero acerbis, & refrigerantibus.*

Sanguinis vomitus quando salutaris. & quãdo malus; atque illum curãdi modus

Aphor. XXXVIII.

QVod si nullus succedat sanguinis vomitus, versa materia ad thoracem, fortasse contingent destillationes, quæ *Destillationes in vẽtrem superiorem, suppurantur intra viginti dies.*

Suppurationes in ventrem superiorem quo morbi die suppurentur.

Apho-

Aphor. XXXIX.

Quomodo dignoscendū, qñ sanguis à thoracis cauitate, per vrinæ vias excretus, profluat à renibus, an à vesica.

QVoniam vero prædictus sanguis verti potest, tum ad renes, tum etiam ad vesicā, atque consequenter per vrinam excerni; ad hoc, vt dignoscas, quando profluat à vesica, non autem à renibus, hæc tibi sunt inspicienda. *Si quis sanguinem minxerint, & grumos, & stillicidio vrinæ laboret, & dolor inciderit in femur, & imum ventrem, & pectinem, quæ circa vesicam malum se habere significatur.*

Aphor. XL.

Linguæ, repentinæ incontinētia, aut alicuius partis torpor, à qua causa prouenient, & quē portendant affectum.

SEd cum de fluxionibus, quæ fiunt, tam ad ventrem inferiorem, quam medium, dictum sit; supereſt, vt de illa etiam sermonem faciamus, quæ fit ad neruos, qui in linguæ musculos; vel in alios, motus voluntarij instrumentis

tis inseruientes inseruntur; sciendum igitur, quod *Si lingua repente incõtinens fiat; aut aliqua pars corporis stupore elanguit, tale est melancholicum.*

Aphor. XLI.

Senes esse magna dexteritate purgandos demonstratur.

QVoniam vero de affectu melancolico incidit sermo, animaduertendum, quod licet aphor. 9. quartæ sectionis dictum sit, melancholicos plenius purgare per inferiora; in senibus tamen magna dexteritate esse progrediendum; nam *Si senioribus supra modum purgatis singultus superuenerit, non bonum.*

Aphor. XLII.

Leuissimo morbo, leuissima cõuenire remedia, exemplo ephemeræ demõstratur.

MVlto magis erit deuitanda superflua purgatio, vbi adsit febris ephemera; illi etenim leuissimum tãtum præsidium satis est; namque *Si febris non 'ex*

bile

bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris.

Aphor. XLIII.

Cur mulier nõfiat ambidextra.

IN alia quacunque valida operatione circa mulieres efficienda, animaduertendum, has longe minus, quam viri, naturæ robur obtinere, id ex eo dignoscitur, quod *Mulier ambidextra non fit.*

Aphor. XLIV.

Si suppurati vruntur, aut secantur, qui euadant, & qui pereãt.

HIs interpositis, ad suppuratos reuertamur, de quibus aphor. 38. dictum est, vt scilicet dignoscamus, qui ad salutem, & qui magis tendant ad interitum; sciendum igitur, quod *Quicunq; suppurati vruntur, aut secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt; si vero subcruentum, & fœtulentum, aut fœtidum, pereunt.*

Aphor.

Aphor. XLV.

SEd quemadmodum suppurationes in thorace, possũt aduri, vel secari; non secus illæ, quæ fiunt in ventre inferiori, debent solum vri, quod cũ effecerimus, illud ipsum, quod de euentu diximus in antecedenti, est pronunciandũ; nam *Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt; in tunica enim his pus continetur, si vero qualis amurca fluat, pereunt.*

Quorũ hepar suppuratum aduritur, qui euadant, & qui pereat.

Aphor. XLVI.

QVamuis autem aphoris. 31. antecedentis sectionis dictũ sit, Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit; quoniam tamen nuper dictum est, quod febris ephemera potest solo aquæ ca-

Cutatiua methodus seruãda in oculorum doloribus.

calidæ balneo curaris videretur hoc ſolum præſidium, oculorum doloribus, abſque febre, ſufficere; ſciendum igitur aliquando ſuffi-ſciendum igitur aliquando ſuffi-cere, aliquando vero non ſatis eſſe; ſed præterea neceſſarium eſſe ad alia præſidia confugere, atque proinde hanc ſerua normam. *Dolores oculorum, poſt meri potionem, & aquæ calidæ balneum, venæ ſectione curato.*

Aphor. XLVII.

Aqua Intercuté laborãtes, ſi tuſſis ſuperueniat, quando ſint omnino deplorati, & quãdo non.

SEd quemadmodum aphor. 35. antecedentis ſectionis dictum eſt, quod aqua intercutem laborantibus, tuſſis ſuperueniens, malum; ita modo animaduertendum, quod ſi hepatis ſuppurationi, de qua nuper dictum eſt, ſuccedit aqua intercutem, atque tuſſis longo tempore perſeueret; aliquid longe deterius euenit; nam-

que

que *Aqua intercutem laborans, ſi à tuſſi detineatur, deſperatus eſt.*

Aphor. XLVIII.

Curatiuæ methodus ſeruãda in vrinæ ſtillicidio, & mingendi difficultate.

VErum cũ non ſemel de mingendi difficultate ſermo habitus ſit, atq; huic affectioni nulla fuerint propoſita remedia, illa proponenda modo; ſunt vero illa eadem, quæ proxime ad oculorum dolores fuerũt indicata; nam *Vrinæ ſtillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ ſectio ſoluit, incidere autem interiores.*

Aphor. XLIX.

Cur in vrinæ difficultate, conueniat venæ ſectio manifeſto exẽplo declaratur.

CAuſſa vero præcipua, propter quam, in prædicto vrinæ ſtillicidio, & difficultate, conuenit venæ ſectio, eſt quoniam foras euocamus materiam noxiam, naturam recte operantem imitantes; namque *Ab angina habito, ſi*

tumor, & rubor in pectore contingat, bonum, extra enim vertitur morbus.

Aphor. L.

Sphacelli in cerebro cauſsa, atque morbi terminus.

QVod ſi materia, quæ anginã efficere conſueuit, irruat ad cerebrum, ibi malum hoc ſolet procreare, nempe eiuſdem corruptionem; iam vero *Quibus cerebrum ſphacellatũ eſt, in tribus diebus pereunt; ſi vero hos euaſerint, ſani fiunt.*

Aphor. LI.

Sternutamenti vtilitates, atq; eius generationis modus, atq; modus etiã quo extra erũpens edit ſonũ.

VErum cum aphor. 35. quintæ ſectionis, ſternutamenti vtilitates, atque illud excitãdi modum, aphor. 49. propoſuerimus; ſupereſt, vt eius cauſſam indicemus, quæ ad antecedentis aphoriſmi vtilitatem poteſt inſeruire; ſi quidem quemadmodum materia noxia ad cerebrum irruens, po-

poteſt ſphacellum producere; nō ſecus, ſi illuc irruat flatus, tantum abeſt, vt excitet cerebri corruptionem, vt potius ab illa poſſit præſeruare, ſternutamentum excitando, namque *Sternutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato, eo quod in capite inani; aer enim intus contentus extra erumpit, ſonat autem, quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus.*

Aphor. LII.

Cur quibu cumq; hepar circumdolēt, his febris ſuperueniens ſoluit dolorem.

APhoriſmo etiam 40. antecedentis ſectionis dictū eſt. Quibus dolor circa hyppochondrium fit abſque inflammatione; his febris ſuperueniens, dolorem ſoluit; cum autē hepar ſit vel hyppochondrium, vel ſub hyppochō drio, demonſtratum eſt, quomodo illi dolenti, febris ſuperueniēs dolorem ſoluat, ſciēdum igitur, quod quemadmodum ex antece-

denti aphorismo, calefacto cerebro, aut humectato, prodest sternutamentum; quoniam materia intus contenta, extra per flatum erumpit; non secus contingit hepati dolenti ex flatu, vel materia humida, nam *Quicumq; hepar circumdolent, his febris supervenientes, soluit dolorem.*

Aphor. LIII.

Si hepati circumdolenti febris non supervenit quid faciendū.

QVod si alicui, hepar verno tempore circum doleat, atque tunc existimemus, febrem superuenientem dolorem non soluturam, coniectandum materiā dolorem efficientem esse calidā, proinde deueniendum ad sanguinis missionem; nam *Quibus à venis sanguinem mittere confert, his vere venam oportet secare.*

Apho-

Aphor. LIV.

VErum quemadmodum proxime dictum est, materiam frigidam & humidam, vel flatulentam, non in hepate, sed circa ipsum existentem, solui à superueniente febre; ita modo indicandum est, quomodo eadem materia, inter ventriculum, & septum transuersum collecta, dolorem efficiens, possit, per aliam regionem translata, dolorem soluere. sciendum igitur, quod *Quibus inter ventriculum & septũ transuersum, pituita reposita, dolorem affert, non habens exitum, neque ad alterum ventrem; his per venas ad vessicam, pituita versa, soluitur morbus.*

Materia inter ventriculum, & septũ trãsuersum collecta dolorẽ efficiés, per quam corporis regionem translata dolorem soluat.

Aphor. LV.

QVod si materia frigida, & humida copiosa, continea-

Quibus hepar aqua plenum in

omentum eruperit ; quid timẽdum.

tur, non circa hepar, vel inter vẽtriculum, & ſeptum tranſuersũ ; atque non defluxerit è venis in ventrem, vt aphor. 14. antecedentis ſectionis dictum eſt ; ſed magno impetu in omentum erumpat, quid ſperandum ex hac eruptione confertim facta ! animaduertendum, *Quibus hepar aqua plenum, in omentum eruperit : his vẽter aqua repletur, & moriũtur.*

Aphor. LVI.

Quomodo medicus poſſit naturam bene operantem imitari, eu rationem inſtituẽdo in anxietudine, oſcitatione, & horrore.

SEd quemadmodum natura morborum medicatrix, conſueuit pituitam repoſitam inter ventriculum, atque ſeptum tranſuerſum, & dolorem afferentem attenuare, atque per vrinæ vias tranſmittere ; non ſecus tenetur medicus naturæ miniſter, atque imitator, quotieſcumque viderit vaporem craſſum, aut humorem mordacem, ferientem os ventricu-

culi atque neruos, vnde anxietudo, oſcitatio, horror, vaporem craſſum attenuare, atque acrem attemperare hũc in modum *Anxietudo, oſcitatio, horror, vinum æquale æquali potum, ſoluit ægritudinem.*

Aphor. LVII.

In qua mingendi difficultate vinum facultatem habeat ſoluẽdi doloré, & in qua non.

VT vinum facultatẽ habet attenuandi prædictam materiam craſſam, & quod magis eſt, ex aphor. 50. ſoluendi difficultatem mingendi; hanc tamen virtutem non obtinet, ſi mingendi difficultas proueniat ex tuberculis factis in vrinaria fiſtula; nam *Quibus in vrinaria fiſtula, tubercula fiunt, his ſuppuratione facta, & eruptione, ſoluitur dolor.*

Aphor. LVIII.

Qui affectus proueniant à capitis ictu, & qui à cerebri concuſſione.

VErum vt ad cerebri affectiones reuertamur, quemadmodum ex aphor. 14. Ex capitis

